



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.




BENJAMIN DUPRAT,
Libraire de l'Institut,
de la Bibliothèque impériale
etc.
*Langues et Littératures
orientales.*
Paris, Cloître-Saint-Benoit, 7.

N. 1

ifise

4

45.1728.



4
à Monsieur le Prof. Letronne

de la part de l'auteur

comme marque de sa haute estime et de sa haute considération.

d.
L.
Paris,



CORPUS SCRIPTORUM VETERUM
QUI DE INDIA SCRIPSERUNT,

EDIDIT ET COMMENTATIONIBUS INSTRUXIT

D. FR. SCHAUFFELBERGER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.



FASCICULUS PRIMUS, CONTINENS:


SCYLACEM, HECATAEUM, HERODOTUM, CTESIAM.



BONNAE AD RHENUM.


PROSTAT APUD FRIEDR. ENKE.


MDCCCXXXV.



BONNÆ, TYPIS F. P. LECHNERI.

Operis, cuius hoc primum fasciculum evulgavi, consilium cepi ratus scientiam Indicarum litterarum, quae nostris ipsis temporibus ita provecta est, ut antehac vix ulla exstitisse videatur, non paullum adiuvari cognitione omnium qui de India scripserunt et Graecorum et Latinorum; atque omnino quantopere res et litterae Indicae antiquis et posterioribus temporibus a veteribus et a Britannis, Batavis, Franco-Gallis nec non ab orientalibus cultae sint, summatim praefari, quum hic aptus mihi videretur locus, volui quidem, sed quum externa neccessitudine coactus nunc nequeam, quod volui, prolegomena totius operis instituere postea faciam, quando alterum operis mei fasciculum in lucem emittam. Hoc altero fasciculo continebitur textus adnotationibus ornatus scriptorum quos hoc primo, quod fidem, formam, qua nobis servata sunt, similia attinet, critice aestimavi. Iis quae sequutura esse intendo fasciculis, eodem modo tractabo scriptores Indicarum rerum qui posteriores tempore sunt Alexandri comites, tum reliquos praeter Megasthenem quem iam a Schwanbeckio recreatum habes, aequae ac Latinos qui de India, quamvis pauci et pauca scripserunt.





DE SCYLACE, HECATAEO, HERODOTO.

DE SCYLACE.

Postquam ex scriptoribus Graecis, qui de India locuti essent, primus Herodotus diu habitus est, nomine vel antea apud Aeschylum¹⁾ significato, nuper etiam alii tempore praecedentes scriptores Eugenii Alexis Schwanbeckii novis quaestionibus²⁾ accuratius distincti sunt et diiudicati. Duo autem Schwanbeckius esse vult genera narrationum, quae ante Herodotum de India traditae fuerint: alterum continet poëtarum perantiqua indicia, quae quidem tam fictitia et fabulosa tamque dubia sunt, praesertim quum poëtis illis prima Indiae notitia Aethiopiae nomine orta sit, ut posteriores de India eos verba fecisse ne senserint quidem, atque tam obscura, ut vel nobis ne ad Indiae descriptionem ea temere referamus verendum sit. Indorum quidem fabulas in universum iis inesse non est negandum, sed eas ita mutatas et dispositas, ut ex iis magis Graecorum quam Indorum quales fuerint notiones et fictiones, perspicui possit. Quae quum ita sint, dubium esse non potest, quin nobis, in collectione scriptorum Graecorum, qui de India scripserint, hos poëtas ad unum omnes omittere liceat. Alterum genus narrationum inde a prosa oratione Graecorum orta incipit: quo tamen in genere non Herodotus primum ducit agmem, sed praecedunt eum Scylax et Hecataeus, de quibus antea est disserendum.

Scylax Caryandeus a Dario ad explorandum Indi fluvii ostium missus³⁾, Olymp. 60, de toto suo itinere narrationem reliquit; quod quidem a multis negatum, a Schwanbeckio autem his rationibus demonstratum est:

1) Complures loci ex eius opere laudantur⁴⁾.

2) Stephani Byzant. verbis s. v. *Καρύανδα*, memoratur: *Σκύλαξ παλαιὸς λογογράφος*, et a Strabone: *Σκύλαξ παλαιὸς συγγραφεύς*.

1) Supplices: 252.

2) Schwanbeckii Commentat. de Megasthene: init. et. p. 62—64.

3) Herod. IV. 44.

4) Aristot. polit. VII. 14., Athen. II. p. 70., Harpocrat. et Suid. s. v. *ὑπὸ γῆς οἰκοῦντες*,

Tzetz. Chil. VII. 629. seq. Neque id quod Aelius Dionysius refert: *Δαρεῖω προσεφώνησε Σκύλαξ τὸ φρόντισμα* (cf. Anonym. vit. Scylacis), licet sit falsum, ad alium atque ad antiquiorem Scylacem spectare potest.

His addendum videtur, a Philostrato ⁵⁾ in Scylacis quodam fragmento *Σκύλακος συγγραφαί* memorari.

Quod ad fontes fidemque eius attinet, ita se habet, ut accipiendus sit partem eorum, quae narrat, ipse vidisse, cetera quibus sine dubio Indicae fabulae continentur, ab Indis accepisse.

Manifestum est terram quae ab Herodoto *Πακτυική χώρα* vocatur et Caspapyrum (Casjapapûra) urbem, ubi navem conscendit, ab eodem nominatim prolata esse. Cursus Indi descriptio, quum Herodotus eam eodem loco afferat, quo de Scylacis itinere agit, ex hoc desumpta videri possit; sed adeo a vero aberrat opinio illa Indum orientem versus fluere, ut minime persuadere nobis possimus, eam a Scylace esse profectam.

Itaque Lassenius ⁶⁾ etiam hunc errorem soli Herodoto tribuit, qui inde quod Indiam universam orientem versus porrigi opinabatur, in hunc errorem inductus sit.

Ut ad ea transeamus, quae auditu tantum cognovit, fragmentum apud Tzetzen docet numerum historiarum mirabilium quas refert permagnum fuisse ⁷⁾. Quodsi ea pauca, quae nobis servata sunt, respicimus, est, quod eum fide dignum iudicemus. Memorantur enim in iis *ὠτόλικνοι, μονόφθαλμοι, ἐνοϊκτιοντες*, qui omnes ex Indicis litteris possunt probari.

DE HECATAEO ET HERODOTO.

Hecataeus vixit circa Ol. LXX. aut postea: itaque primus Indiae cognitione quantam Scylax nactus erat, uti potuit.

Singulari eius operis, quod inscriptum erat *περίοδος* sive *περιήγησις γῆς*, parte, India tractata erat. Herodotus in populorum catalogo socios et subditicios Darii referens ⁸⁾, Indos recenset satrapiam octavam decimam. Atque huic loco ex more suo quaecunque de India ei nota erant annectit ⁹⁾.

De Herodoti fontibus constans erat ad nostra usque tempora neque addubitata sententia, Herodotum nonnisi a Persis, quae de India tradiderit accepisse. Atque profecto eiusmodi sententia per se cuivis obversari debet, quum Herodoti qui aut ea, quae oculis ipse vidit, aut, quae ex certis aliorum testimoniis cognovit alias tradere solet, de India narrationes tam leves et ancipites sint, ut facillime comitri possit eum fama solum pervulgatas res scripsisse.

5) Philostr. v. Apoll. III. 14.

6) Lassen: Indische Alterthümer. pag. 433. Not. 3.

7) Chil. VII. 638. sqq.

ὁ Σκύλαξ οὗτος γράφει δὲ καὶ ἕτερα μυσία

περὶ γὰρ μονοφθάλμων τε καὶ τῶν ἐνοϊκτιόντων

καὶ ἐκτραπέλων ἄλλων δὲ μυρίων θασμάτων.

8) Her. III. 94.

9) Her. III. 98—105.

Primus huic sententiae Eugenius Alexis Schwanbeck ¹⁰⁾ adversatus est, quum demonstraret Herodoti narrationes ex Hecataei et Scylacis, et Hecataei ex Scylacis libris esse deductas; quam ad sententiam confirmandam argumenta profert haecce:

1) Quod Herodotus ¹¹⁾ iter Scylacis, quod describit, optime noverit;

2) Quod tres illi scriptores ad unum omnes, de paucissimis illis, quae commemorant, certe quantum Hecataei et Scylacis fragmenta docent, eadem fere, eaque inter se quam maxime diversa tradant: ex. gr. inter nomina pauca ab iis commemorata haec tribus communia reperiuntur:

Indus fluvius ¹²⁾,

Caspapyrus ¹³⁾ urbs, unde Scylax naves solvisse dicitur. Ab Hecataeo haec urbs *πόλις Γανδαρική* vocatur, et incolae *Γανδαριοί* nuncupantur: Herodotus autem a Gandariis incipit.

Scylaci et Hecataeo ¹⁴⁾ communis est commemoratio Sciapodum: Scylaci et Herodoto, *Πακτυϊκῆς γῆς* ¹⁵⁾. Augetur etiam et quasi absolvitur hic consensus iis, quae inter Hecataeum et Herodotum communia conveniunt, quorum uterque praeter ea, quae iam allata sunt, Calatios et solitudinem quandam Indicam novit ¹⁶⁾. Huic Schwanbeckii sententiae, qui Hecataeum aequae atque Herodotum ex Scylacis libris multa hausisse vult, etiam hoc argumentum addi potest, quod Hecataeus Scylaci aequalis et ipse ex Asia minori ortus erat et in eo emporio maximo habitavit cuius hoc iter ad novas in India terras quaerendas multum interesset.

3) Schwanbeckius observat, hos scriptores eadem nomina nulla mutatione admissa afferre, quum alioquin nomina aliena a variis scriptoribus, qui non aliorum scripta exscripserunt sexcenties mutata reperiuntur. Ex. gr. *Ἐνωτοκοῖτες* et *Πανώτιοι*: *Σκιάποδες* et *Στεγανόποδες*: *Μονόκοι* et *Ἐκπόδες*, etc. Augetur haec sententia vel hoc argumento, quod consensus ille apertissime elucet, ubi nomina Graeca ab Indicis maxime diversa, ab universis tamen tribus scriptoribus usurpata reperiuntur, cuius rei Schwanbeckius haec affert exempla: Casjapapûra nomen, quum minime necesse esset, in *Κασπάπυρος* est mutatum: praeterea Sciapodes et Calatii semper eodem nomine vocantur, quanquam nomen Indicum eorum sine dubio valde ab iis recedit. Quod autem apud Herodotum nomen *Κασπάπυρος* reperitur, vel id ad nostram abhiberi potest sententiam confirmandam, quum nomen multo melius *Κασπάπυρος* in He-

10) Comment. de Megasthene. 6-7.

11) Her. IV. 44.

12) Her. III. 98., IV. 44., Hecat. Fragm. 173. 174. Klaus.

13) Her. III. 102., IV. 44., Hecat. Fr. 179.

14) Scyl. fr. ap. Philostr. v. Apoll. III. 14., Hecat. fr. 265.

15) Hecat. fr. 178.

16) Hecat. fr. 175., Her. III. 38. 97. 98. 102.

cataei libris reperiatur: ex quo conici potest, Herodotum errore calami admissio, nisi librariis hoc est tribuendum, Hecataei verba descripsisse.

Iam videamus quomodo Hecataeus cum Scylace congruat:

4) In fragmento apud Athenaeum¹⁷⁾ plane Scylax et Hecataeus congruunt. Atheneus enim ex Scylace haec refert: *ἐντεῦθεν δὲ ὄρος παρέτεινε τοῦ ποταμοῦ, καὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν ὑψηλὸν τε καὶ δασὺ ἀγροῖη ὕλη καὶ ἀκάνθη κυνάρα, et ex Hecataeo quae sequuntur: καὶ περὶ τὸν Ἰνδὸν δὲ φησι ποταμὸν γίνεσθαι τὴν κυνάραν.*

5) Herodotus in componendis et ordinandis narrationibus eundem fere atque Scylax sequitur ordinem. Incipit enim ab Indo describendo, atque primum de accolis paludum eiusdem fluminis agit: deinde ad Orientem versus ceterorum populorum situm et loca describit, unde Caspapyrum reversus, regionem ultimae narrationis significat: his igitur quasi notissimis sumtis vestigia premit Scylacis.

Quae quidem argumenta quum prorsus sufficere videantur, tamen una sola dubitatio huic sententiae obstat: dicit enim Herodotus¹⁸⁾ disertis verbis: *ὡς λέγεται ὑπὸ Περσέων — ὡς Πέρσαι φασί*: quam dubitationem ut accommodaret sententiae suae, ita egit Schwanbeckius, ut diceret, Herodotum in ea, quae Scylax et Hecataeus tradidissent, apud Persas accuratius inquisivisse.

Ad hanc autem difficultatem resolvendam aliud sese offert argumentum, quod Schwanbeckii sagacitatem fugit.

Herodotus §. 94. tradit Indos Persis tributum solvere: deinde §. 98. ad Indos redit his verbis: „aurum petunt hoc modo“: tum ipse se interpellat et usque ad §. 102. in universum de Indis et variis eius terrae populis loquitur: eas autem narrationes ex Hecataeo et Scylace fluxisse argumentis certissimis probavit Schwanbeckius. Denique, §. 102. recipit ea, quae §. 98. afferre constituerat, narraturus, quomodo aurum petatur, atque hanc ipsam narrationem a Persis se accepisse ipse est auctor: idque eo magis confirmatur, quod Herodotus opinatus est, Indos aurum petentes eosdem esse, qui regi tributum auro solvant: tum a rege Persarum formicas in palatio ali tradit, id quod commercium et foedera indicat.

Quae quum ita sint, credere possumus, Herodotum ea quae a §. 98. usque ad §. 106., de India tradit, ex duobus iisque variis hausisse fontibus, quorum alter scriptorum indicis continetur, Scylacis dico et Hecataei, alter narrationibus Persarum, commemorationem dico formicarum aurum effodientium.

Quae adhuc a nobis sunt disputata, descriptionem attinent eius tantum terrae, quam Herodotus ipse Indiam vocat. Verumenimvero Schwanbeckius iam demonstravit, Herodotum aequae atque alios ante Alexandrum scriptores nescientem describere Indiam, etiamsi Aethiopiam vocet. Sunt autem argumenta Schwanbeckii haecce:

17) Athenaeus: II. p. 70.

| 18) Her. III. 105.

1) Herodotus, *Αἰθίοπας ἀπ' ἡλίου ἀνατολέων* vicinos Indorum¹⁹⁾ vocat.

2) Indis, exceptis iis, qui aurum petant, colorem nigrum attribuit²⁰⁾.

3) In describendo itinere quod Cambyses in Aegyptum suscepit, fontem commemorat, quo omnia mergantur, eumque fontem apud *Αἰθίοπας Μακροβίους* esse dicit²¹⁾: quem tamen fontem nullum alium esse nisi Silam fluvium in India quivis videbit.

Quibus exemplis alia possunt addi:

1) Herodotus²²⁾ de Aethiopibus dicit: *σπέρματι μὲν χρέωνται τῷ αὐτῷ τῷ καὶ οἱ Καλαντίαι Ἰνδοί*. porro in eadem par. in Aethiopia res esse tradit, quae quin in India tantum reperiantur, dubium esse non potest.

2) Praeterea dicit: *Παρκιάνιοι δὲ καὶ Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίας*²³⁾: quod non dubito quin sit illi confusio perpetuae attribuendum.

Quid quod vel in Libya res commemorantur, quae ad Indiam tantum pertinere possunt: illuc enim referuntur *κννοκέφαλοι, ἀκέφαλοι*²⁴⁾, asinus cornutus quem Ctesias in India existere contendit; porro negat cervum vel suem in Libya inveniri²⁵⁾, quod sine dubio de India²⁶⁾ est intelligendum; quin etiam eam vocem, qua Herodotus²⁷⁾ in lingua Libyca murem significari contendit, Indicam esse Schwabeckius²⁸⁾ probavit.

Quodsi hoc loco fontes Herodoti respiciamus, vel ex nominibus et Herodoti opinione Indiam et Aethiopiam, licet eandem terram, diversas esse, intelligi potest eum in descriptione Aethiopiae alium fontem secutum esse, quem indagari posse non est verisimile. Sufficit probasse, fontem talem ei suppetiisse, cetera autem exceptis iis, quae de formicis tradit, et nonnullis narratiunculis quae in Persarum historia inseruntur²⁹⁾, e Scylacis et Hecataei libris esse hausta.

De fide Hecataei non nisi incertum potest reddi iudicium: verisimile est eandem esse atque Scylacis quem ille auctorem secutus est. In fragmentis eius praeter urbium et populorum Indiae commemorationem, etiam Sciapodes³⁰⁾ et Pygmaei³¹⁾ populi fabulosi afferuntur, dummodo hi populi ex eius descriptione Aethiopiae huc referendi sint.

Herodoti fides, quod Indiam attinet, a veteribus ipsis non ita magni videtur aestimata fuisse. Ctesias quidem, qui eum mendacem in Persicis nuncupat in Indicis neque cum memorat neque eius indicia adhibet, et nominatim a posterioribus scriptoribus fere nunquam laudatur.

De eius igitur narrationibus non est quod copiosi simus, quum quia nimis

19) Herod. VII. 70.

20) Her. III. 101: τὸ χρώμα φορέουσι ὁμοῖον πάντες καὶ παραπλήσιον Αἰθίοπιν.

21) Conf. Comment. de Ctesia p. 11.

22) Her. III. 97.

23) Her. I. I.

24) Her. IV. 191.

25) Her. I. I.

26) Comment. de Ctesia p. 45.

27) Her. I. I.

28) Comment. de Megasth. p. 3.

29) Her. I. 192., III. 38., VII. 65.

30) Fragm. 265.

31) Fragm. 266.

leves sunt, tum quia eae, quas explicare contigit rectius memorandae nobis videntur, ubi Ctesiae libro illustrando operam insumemus qui non minus operis sui consilio, quod singulatim de India scribendi inierat, quam amplitudine maioris est momenti.

Male se habent populorum locorumque descriptiones; nam adhuc de hac Herodoti narrationum parte nihil pro certo potest affirmari. In singulis quibusdam narrationibus fide dignissimus censendus est, praesertim ubi ea, quae terra Indica gignit, referuntur, ut vestes quae sub nomine Valkala feruntur³²⁾ oryza³³⁾, arbor bombycem ferentem³⁴⁾ arundo quae Bambus³⁵⁾ vocatur; novit etiam canes Indicos³⁶⁾. E rebus fabulosis solum formicas aurum effodientes tractavit; quam fabellam nunc etiam recentior pervestigatio ex Indicis litteris probavit³⁷⁾. Sed maxima pars eorum, quae memoriae prodidit maguam offert difficultatem. Quamquam Schwanbeckii quaestiones ostenderunt, ei Scylacem in commentariis auctorem fuisse, tamen ipsius chorographia admodum exilis est.

Iam ut omnia quae hucusque de Herodoto dicta sunt, paucis complectamur, hoc statuimus, illum operam dedisse, ut breviter et quantum licebat Indiam describeret idque, quo solet veritatis studio, fecisse. Ea quae a Scylace et Hecataeo originem habere docuimus, ut minus certiora brevi narratione persequitur, formicarum vero fabellam, quam a Persis testibus oculatis accepit, multo fusius enarrat. Magnum fabularum numerum, quas Scylax memorasse videtur, quippe quae fide carerent, omisit, paucis tantum ex toto opere, quae credibilia ei videbantur, allatis. Nomina locorum apud eum corruptissima esse videntur, quod videre licet ex duobus iis, quae certo explicata sunt. Sunt enim: *Κασπάπιυρος* i. e. Casjapapûra³⁸⁾, et *γῆ Πακτινική*, qua Lassenius³⁹⁾ Afghanicae cuiusdam gentis sedes notari demonstravit, quum Afghani orientem versus sibi nomen Pakhtûn dent. De ceterorum populorum narrationibus difficillimum est iudicare. Padaeos, Calatios aliamque gentem cuius nomen non affert, Orientem versus longissime a Persis habitare tradit eorumque ditioni non esse subiectos. De sedibus igitur horum populorum adhuc parum liquet. Lassenius⁴⁰⁾ comparatis in-

32) Her. III. 98., VII. 65.

33) Her. III. 100.

34) Her. III. 106.

35) Her. III. 98.

36) Her. I. 192.

37) Wilso: *Ariana antiqua*. p. 135.,
Schwanbeck: *de Megasth* 71. sqq.

38) Wilso: *Asiatic Researches*. XV. 117.

39) Lassen: *Ind. Alterth*. p. 432.

40) Lassen: *Ind. Alterth*. p. 389—391.
Ad haec viri doctissimi ipsius verba adicere
libet. p. 389. not. 4: Die Erklärung aus *kàla*,

schwarz, gehört BOHLEN, (*altes Indien*, I, 63.)
so wie die der Padaioi durch *padja*, schlecht.
Als Mascul. heisst es eigentlich Çûdra, wie
pàdag'a, weil diese nach Brahmanischer Vorstellung
aus dem Fusse des Brahma erschaffen waren.
Herodots Padaier können nicht eigentliche Çûdra
seyn, schon weil sie Nomaden waren. *Padja* für die
wilden Waldbewohner und auch für die gemischten
Kasten ist, so viel ich weiss, nicht Sprachgebrauch
im Sanskrit und die Erklärung des Namens der
Padaier bedarf noch einer weiteren Bestätigung.

dole moribusque, quos Herodotus in his populis esse tradidit, cum populis Indicis qui nunc sunt, eos circa Windhja montes ponit. Nomina, quibus Herodotus eos nuncupat ne conjecturis quidem locum dant.

Nec maior erat eius terrarum locorumque notitia. Indi fluvii cursum falso describit; nihil dicit de magnitudine Indiae, numerum Indorum nonnisi in univ-ersum indicat, omnium orbis populorum hunc esse maximum existimans. Nomen *Κασπάπυρος*, quod totius terrae Casmyrensis est, urbi cuidam attribuit. Itaque hoc opus, comparatum cum Scylacis commentariis, quibus haud dubie multo meliora indicia continebantur, veterum de India scientiam minime promovit.

De reliquis scriptoribus qui huc referendi sint, Schwanbeckii verba afferre sufficit.

„Hoc modo quum Hecataeum et Herodotum Scylacis vestigia ubique persequi videamus, dubitare licet num notitiam Indiac eam, quae in Graecis antea fuerat, ab ulla parte auxerint. Quod etiam minus expectari potest de iis, qui Hecataei aequales erant vel successores, de Dionysio Milesio, de Charone Lampsaceno, de Hellanico Lesbio, quibus Persica, quae conscripserunt, Dionysio etiam geographicus liber (*περιήγησις τῆς οἰκουμένης* et Charoni⁴¹⁾ *Αἰθιοπικά*) occasionem Indiae breviter describendae offerre poterant. Neque tamen ullus, qui huc spectet, locus servatus est.“

Quamvis igitur de iis, quos modo tractavimus, scriptoribus sententiam satis firmam ferre non liceat, pro certo tamen habere debemus, Indiae cognitionem haud multo eorum studiis promotam esse. Unus enim Scylax in ipsam illam terram profectus indigenarum narrationes et quae ipse viderit memoriae prodidit: quum vero arte critica eum fere caruisse viderimus, magis fabulis rebusque mirabilibus referendis operam videtur dedisse, quam Indiae geographiae, incolarum moribus, terrarum illarum fructibus ceterisque similis argumenti rebus ad veritatem describendis. Verum enim vero quum ab ipso Persiae rege ad Indiam melius explorandam cum classe omnibusque, quibus opus erat, adiumentis emissus esset, eum meliorem illius terrae cognitionem habuisse quam Hecataeum conicere licet. Qui, vir privatus neque ullo, quod sciamus, unquam publico munere functus, multas terras peragravit⁴²⁾: attamen neque Indiam ipsam vidit, neque gentium in quas proficisceretur, situi moribusque explorandis tanto studio incubuit. Itaque quamvis omni fere eius libri quem de India composuit notitia careamus, constare tamen videtur, eum nulla de re ut testem oculatum scripsisse, sed ea tantummodo congesse, quae ab aliis accepisset vel e Scylacis libris exscripsisset.


Haec fere sunt, quae de Scylacis et Hecataei fide et auctoritate liceat conicere: quod autem ad patrem illum omnis scribendae historiae attinet, Hero-

41) Suid. s. v. *Χάρων*.

| 42) Agathemerus I. 1. *ἀνὴρ πολυπλανής*.

dotum dico, quamvis plurimis in rebus fide dignissimus, tamen in his, quae de India profert, haud magnam habet auctoritatem. Quum enim Persiae finibus ad orientem versus non excessisset neque in Indiam profectus esset, eorum quae de terra illa referebat, nonnisi duos fontes habuit, Persarum ipsorum narrationes eorumque libros, qui antea iam easdem res tractaverant. Constat igitur eum cum Scylacem, tum Hecataeum saepissime sequutum esse⁴³).

Nova vero Indiae cognoscendae aetas inde a Ctesiae temporibus incipit, cuius scriptoris tot quoque fragmenta in manibus habemus ut iudicium accuratum de iis ferre nobis liceat. Is enim quamvis et ipse nunquam vidisset Indiam, tamen in aula Persica habitans scriptorumque peritissimus, ad altiorem gradum Indiae cognitionem promovisse a nobis continuo iam demonstrabitur. Ut enim ad Ctesiam usque Scylax, sic postea usque ad Megasthenem Ctesias plurimum ad Indiam melius cognoscendam videtur valuisse.



43) *περὶ οὗ δὴ μάλιστα ἀφέλιγται Ἡρόδοτος. Hermogenes: de genere dicendi. II. 12.*

DE CTESIAE INDICIS.

I. DE FONTIBUS CTESIAE.

In Ctesiac fontes si quis accuratius inquirere vult, primum investigandum est, num Ctesias Herodoti, qui ante eum quosdam Orientis populos tractaverat, scripta ad manus habuerit in suumque usum converterit. Horum ut alterum affirmandum ita alterum negandum est. Nam non solum mendacii Herodotum arguit¹⁾, sed etiam, ubi easdem res quas ille memorat, plerumque discedere eum ab illo plane invenimus. Exempla horum discriminum afferre supervacaneum ducimus. Utrius igitur fides sit maior, apparebit ex rerum ab iis traditarum genere et fontibus examinatis. Iam patet ex Herodoti ipsius verbis, eum maxima itinera fecisse in remotissimas terrae partes²⁾. In Persarum regno eum Babylonem usque penetrasse, constat ex iis, quae de ara quadam tradit, quae suo tempore ab hac urbe abducta fuerit: de ea ara sic loquitur: ἐγὼ μὲν μιν οὐκ εἶδον· τὰ δὲ λέγεται ὑπὸ Χαλδαίων, ταῦτα λέγω³⁾; quin etiam Ecbatana cum venisse verisimile facit Blumius, ultraque Heysius⁴⁾. Quid ergo obstat, quominus eum, quae de his regionibus prodiderit, e Persarum ore maximam partem accepisse credamus? Accedit, quod nonnullis locis eos affert testes: ὡς δὴ λέγεται ὑπὸ Περσέων — ὡς Πέρσαι φασί⁵⁾.

Nihilominus Ctesiae longe maior obtigit vera cognoscendi occasio. Nemo enim dubitabit, quin Herodotus, quum ei, ut peregrino, optimi fontes parum noti essent aut eos inspicere non liceret, hominibus diversissimae scientiae et iudicii permagnam historiarum suarum partem debens, erroribus obnoxius fuerit multo

1) Pers. 1.: Σχεδὸν ἐν ἅπασιν ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορῶν, ἀλλὰ καὶ ψεύστην αὐτὸν ἀποκαλῶν ἐν πολλοῖς, καὶ λογοποιὸν ἀποκαλῶν.

Pers. 2.: Φησὶν οὖν αὐτίκα περὶ τοῦ Ἀσιυάγου, ὡς οὐδὲν αὐτῷ Κύρος πρὸς γένος ἐχρημάτιζεν· οὗτος δὲ αὐτὸν καὶ Ἀσιυίαν καλεῖ·
ubi testimonium Herodoti ut falsum reiicit,

nomine omissio. cf. Pers. 57.: Ἐξ οὗ καὶ ἔλεγχος Ἑλληνικοῦ καὶ Ἡροδότου ὡς ψεύδονται.

2) Blum: Herodot und Ctesias, p. 49 seq., ubi loci citantur.

3) Her. I. 183.

4) Blum: Herodot u. Ctesias, p. 56., Heysse Quaestt. Herodott. I. p. 106.

5) Her. III. 105.

magis quam Ctesias, qui muneris auctoritate (nam medicus erat Persarum regis) in conspicuo loco positus, quidquid Persarum nobiliores vel scriptis monumentis protulerant vel fama de Persarum vicinorumque populorum historia et terris prodiderat, ea omnia facile colligere ex iisque res maxime probatas eligere potuerit.

Maior illa Ctesiae fides luculentissime apparet ex diversa ratione, qua apud utrumque scriptorem Cyri ortus refertur. Herodotus enim ex tribus fabulis de ea re vulgatis eam eligit, quae proxime ad verisimilitudinem accedere ei videtur. Quae ratio agendi quamvis ex altera parte Herodoti iudicio laudis sit, ex altera tamen eum in errorem adducere poterat. Ideoque Ctesiac⁶⁾ eum mendacii accusare licebat, quod hac occasione oblata facit. Neque Ctesias⁷⁾ ipso adiumentis, quibus sit usus ad historiam accurate conscribendam, gloriari omittit: φησὶ δὲ αὐτὸν τῶν πλειόνων, ἃ ἱστορεῖ, αὐτιόπιττον γινόμενον ἢ παρ' αὐτῶν Περσῶν (ἐνθα τὸ ὄραϊν μὴ ἐνεχώρει) αὐτήκοον κατασιάντα, οὕτως τὴν ἱστορίαν συγγράψαι. Haec sine dubio dicit ad imminuendam fidem Herodoti, quem vocat λογοποιόν nam alioquin cum illis verbis non concineret aliud Ctesiae testimonium quod Diodorus⁸⁾ affert: Οὗτος οὖν (Ctesias) φησὶν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερωῶν, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατὰ τινὰ νόμον εἶχον συντεταγμένας, πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν.

Aliud insuper argumentum, ex quo idem efficitur, Ctesiam in Persicis componendis nihil ex Herodoto hausisse, addam, quod Ctesias et Herodotus non eodem consilio de rebus Persicis agunt. Rationem, quae inter illos intercedit, ita recte describere nobis videmur, ut Herodotum bellorum maxime, quae Persae cum aliis populis et praecipue cum Graecis gesserant⁹⁾, sive *externam historiam* conscripsisse statuamus, Ctesiam potius *regum vitam et res ab illis gestas* complecti voluisse. Argumento id ipsum est, quod, quum Herodotus fusc bella a Persis gesta enarret, Ctesias illa, ex. gr. Ioniae seditionem¹⁰⁾, et quae insequuntur cum Graecis bella strictim memorasse satis habens regum contra longam seriem profert, qui post bella cum Graecis peracta regnarunt, multaque narrat, quae ad eorum vitam privatam et aulicorum malas artes spectant, de quibus Herodotus ne verbum quidem facit: nam haec regni Persici tempora, quae ad Graeciae historiam non spectant, minime attingit.

Neque in Indicis Ctesiam quidquam ex Herodoto sumsisse existimanti haec mihi sunt argumenta: primum quod Ctesias, cui in Persicis parum fidei tribuerit, eum in Indicis certe ab Herodoti cognitione remotioribus sequi noluisse putandus

6) Her. I. 95., Ctes. Pers. 2.

7) Pers. 1.

8) II. 32.

9) Herodotus bellum inter Persas et Graecos gestum enarrandum sibi proposuit I. 1. Itaque omnia, quae de moribus et rebus gestis Per-

sarum hoc bello antiquioribus narrat, non sunt nisi in limine operis usque ad I. VI. narrata. Quum autem egregius morum observator esset, omnia quae de his audiverat, attulit; idque fecit prorsus eximio modo.

10) Pers. 17.

est, deinde quod propter gravitatem muneris, quo fungebatur in loco, ubi Persarum et Indorum commercium erat, Ctesiae huiusmodi adiumento non opus fuit, denique gravissimum quod, quae ab utroque scriptore memoriae produntur, vel in earundem rerum enarratione, nusquam inter se concinunt.

Haec autem sunt praecipue quae ab utroque scriptore vel referuntur vel describuntur:

1) *Gryphum fabula*, quam tamen nullo modo ex Herodoto Ctesias exscribere potuit. Primum enim in eo dissentit Herodotus, quod fabulosam hanc avem in Hyperboreis¹¹⁾ i. e. in Europae septentrionalibus partibus inveniri scribit¹²⁾, deinde quod nullam descriptionem neque animalis ipsius, nec rationis, qua aurum comparetur, adiecit, quae omnia a Ctesia copiose exponuntur¹³⁾.

2) *Indicae quaedam fabellae*¹⁴⁾, quas Herodotus leviter attingens falso Libyae adscribit (*κνωκέφαλοι, ἀκέφαλοι*), quas Ctesias de India narrat. Eodem hoc loco memoranda est narratio, quam Herodotus, ubi expeditionem a Cambyse in Aegyptum factam narrat, de quodam fonte refert, qui apud Aethiopes Macrobios repertus sit, in quo omnia mergantur¹⁵⁾; Ctesias fluvio nomine *Σίλας* tribuit virtutem prorsus eandem¹⁶⁾.

Eiusdem confusionis exemplum habes narrationem, quam de Semiramidis expeditione Aethiopica refert Diodorus¹⁷⁾: is enim loquitur de fonte quodam, cuius aquam qui biberint rei, facinora sua confiteantur. Hunc eundem fontem Ctesias in India inveniri tradit. Quod accuratius examinantibus nobis, colligere

11) Her. III. 116., IV. 13.

12) Inter ea, quae Graeci de Hyperboreis et Indi de incolis montium tradunt, quibus Uttaracuru nomen est, mira similitudo cognoscitur. De hac re conferatur Lassen in Zeitschr. f. d. K. d. Mgl. 2., 66., et Schwanebeck: de Megasthene pag. 63. Quamquam autem nondum licuit ex Indorum literis ipsis originem huius fabulae vel notitiam ullam quaerere, tamen eius originem esse Indicam ex hac re concludo: Marcus Paulus mercator in iis, quae de India refert, similem fabulam commemorat, quam in regione Malabar audivit. In hac enim regione vallis est adamante referta, quam habent aquilae ingentes; animalium mortuorum frusta magna in hanc vallem ab incolis proiecta in nidos ferunt, ibique clamore hominum speculantium perterritae frusta adamante plena incolis relinquunt (M. Paulus III. Cap. 29. pag. 148. edit. Coloniae Brandenburgicae 1671.). Conf. Tausend u. eine Nacht. τ. II. pag. 63. ed. Pforz-

heim. 1839., ubi eadem fabella reperitur, cuius quidem libri originem Indicam probavit A. G. a Schlegel: Essai sur l'Étude des langues Asiatiques pag. 12, Berliner Taschenkalendar 1829. pag. 73. Deinde Issedones Herodoto auctore Arimaspi, qui cum gryphibus dimicarent, vicinos Aelianus H. An. III. 4., in aurifera Daradarum regione habitare tradit ad fluvium Campylum; cuius cum narratione congruit testimonium Ctesiae (Conf. Fragm. Ctesiae ap. Ael. H. An. IV. 27.), dicentis, Bactris vicinam esse eam gentem Indicam, quae aurum gryphibus eripiat. Est item regio Cämpila in septentrionali parte Indiae: conf. Lassen Ind. Altert. pag. 530. N. 2.

13) Ael. H. An. IV, 27. cf. Ctes. Ind. 12.

14) Herod. IV. 191. Ctes. Ind. 20. sqq. Cf. fragm. ap. Plin. H. N. VII. 2. 16. ed. Par.

15) Herod. III, 23. Schwanebeck in commentat. de Megasth. p. 64. not. 52.

16) Cf. quod de fide Ctesiae infra dictum.

17) II. 14.

licet, Diodorum quoque Indicam traditionem transposuisse in Africam, et Semiramidis expeditionem in Aethiopiā Africam non esse factam. Inspicias de hac re luculentius disputantem *Schwanbeckium*¹⁸⁾.

3) *Arundo*¹⁹⁾, quae *Bambus vocatur*²⁰⁾. De hac re tamen magis consentiunt. Herodotus haec pauca afferre satis habet: *Τοὺς ἰχθύας αἰρέουσι ἐκ πλοίων καλαμίνων ὀρμεώμενοι καλάμου δὲ ἐν γόνυ πλοῖον ἕκαστον ποιεῖται. Apud Ctesiam legimus: Ὅτι ὁ Ἰνδὸς ποταμὸς ῥέων διὰ πεδίων, καὶ δι' ὀρέων ῥεῖ ἐν οἷς καὶ ὁ λεγόμενος Ἰνδικὸς κάλαμος φύεται, πάχος μὲν ὅσον δύο ἄνδρες περιουώμενοι μόλις περιλάβοιεν· τὸ δὲ ὕψος, ὅσον μυριοφόρου νεῶς ἰστός. εἰσὶ καὶ ἔτι μείζους καὶ ἐλάττους, οἷους εἰκὸς ἐν ὄρει μεγάλῳ. εἶναι δὲ τῶν καλάμων καὶ ἄρρηνας καὶ θηλείας. ὁ μὲν οὖν ἄρρηνην ἐντεριώνην οὐκ ἔχει, καὶ ἔστι κάρτα ἰσχυρός· ἡ δὲ θηλεία ἔχει.*

Adde *Tzetzae*²¹⁾ locum :

Εἰ θαῦμα δὲ νομίζοι τις Ἀρρήάβων τοὺς καλάμους ὁ Τζέτζης λέγει τοὺς Ἰνδῶν καλάμους τῷ Κτησίᾳ ὡς διοργυίους γράφοντι τὸ πλάτος τίς πιστεύσοι; καὶ τοῖς τὸ ἐν γονάτιον δύο ποιεῖν ὀλκάδας.

Uterque igitur scriptor ex arundine Indica scaphas ab indigenis confici contendit, sed nihil Herodotus de sexus differentia annotat, quam ex omnibus scriptoribus qui ipsi Indiam tractaverunt nec aliorum libros exscripserunt, Ctesias solus refert. Quare ex Ctesiae Indicis fluxisse illud conicio, quod Plinius de eadem arundine observat, quodque coniecturae nostrae, Ctesiam Herodoto nihil debere maiorem etiam fidem conciliare potest²²⁾: „Arundini quidem Indicae arborea amplitudo: quales vulgo in templis videmus. Differre mares et feminas in his quoque *Indi tradunt*. Spissius mari corpus, feminae capacius. Navigiorumque etiam vicem praestant (si credimus) singula internodia.“

4) *Canes Indici*²³⁾. Herodotus de eorum robore non loquitur, quod quidem tantum est ex Ctesiae testimonio, ut cum leonibus possint in pugnam descendere.

Fuisse tales canes, constat expeditione Alexandri²⁴⁾ et testimonio Mega-

18) Commentat. de Megasth. p. 64. not. 52.

19) Her. III. 98. Ctes. Ind. 6.

20) E ceteris scriptoribus qui calamum Indicū commemorarunt, neque ex aliorum auctorum sed ex Indorum et Persarum narrationibus vel ex ipsa observatione conscripserunt historias, Herodotum et Ctesiam solos iam dixi commemorare ex illo navigia confici. Alexandri comites huius rei mentionem non faciunt, et apud recentiores huius modi navigiorum commemorationem frustra quaeras. Hoc masculae et feminae Indorum arun-

dinis discrimen pro libidine ab Indis factum, ut ex Plinii loco laudato apparet, etiam nunc videtur consistere. Ex nonnullis enim calamis stillat succus, quem mercatores magni aestimant. Conf. Lassen Indische Alterthümer. p. 254. Hic succus antiquis temporibus *pâtira* ab Indis est nominatus. *Wilsonii Lexicon* s. v.

21) *Tzetzes* Chil. VII. 739.

22) *Plin.* H. N. XVI. 36. ed. Hard.

23) *Herod.* I. 192., Ctes. Ind. 5.

24) *Strabo* XV. 700; *Diod. Sic.* XVII.

thenis²⁵); confirmatur etiam res eo quod Lassenius V. D.²⁶) mirificas has bestias e litteris Indicis probavit. In Râmâyana²⁷) fertur avus Açvapati (Sopithes) fratri Ramae (nomine Bharatae) celeres donasse asinos et canes in palatio nutritos, tigridis robore praeditos, dentium ope pugnantes, grandi corpore.

5) *Palma Babylonica*²⁸), quam Ctesias nulla descriptione memoravit, cuius quidem Herodotus copiose naturam exposuit.

Fortasse censuit Ctesias, Herodoti descriptione Babylonicas palmas ad Graecorum notitiam pervenisse; easdem enim cum palmis Indicis comparat, cum alibi, quaecunque probandi causa exempla profert, ex Europa vel Asia minore petita sint²⁹).

¶ Unum, quod sciam, Ctesiae indicium exstat, quod ad Herodotum auctorem referendum videatur, ubi Zacynthius fons ad illustranda et comprobanda ea, quae de India narravit, memoratur; de quo ante eum locutus fuerat Herodotus³⁰).

Satis iam disputasse nobis videmur, cur Ctesiam ex Herodoti libro nihil hausisse statuerimus; restat igitur ut, unde rerum Indicarum argumentum petiverit, quaeramus.

Ex veteribus solus de hac re pauca monuit Lucianus³¹), cuius haec sententia est: *Κτησίας ὁ Κτησιόχου ὁ Κνίδιος συνέγραψε περὶ τῆς Ἰνδῶν χώρας καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς, ἃ μὴτε αὐτὸς εἶδε, μὴτε ἄλλου εἰπόντος ἤκουσεν.* Haec vero sententia quantopere omni ratione careat, vel ea demonstrant quae superioris aevi scriptores non pauci Ctesiae magis minusve congruenter tradiderant. In quorum numero praeter Herodoti locos, de quibus supra diximus, sunt repōnenda, quae apud Homerum³²) de Pygmaeis leguntur.

Homericorum Cycloperum fabula utrum ex eodem fonte manaverit atque Indicorum monoculorum, quos Isidorus et Cyclopes nuncupat, an utraque fabula per se sola exorta fuerit, hoc omnino non licet diiudicare³³).

Iam memoraverat Scylax multa prodigia Indiae, ut Tzetzes³⁴) dicit:

92. Ael. H. An. VIII. 1.; Plutarchus de nobilitate c. 19. (T. XIV. p. 423. Hutten.); id. de solertia anim. c. 15. (T. XIII. pag. 168. Hutten.). Curt. IX. I. 31.

25) Megasth. ap. Strab. XV. 703.

26) Ind. Alterthümer I. p. 300. Not. 1.

27) Râm. II. LXX. 21.

28) Ind. 13. Her. I. 139.

29) Ind. 10. 12. 32.

30) IV. 195. Cf. Ctes. Ind. 10.

31) Ver. Hist. I. 3.

32) H. II. III. 6.

33) Isidor. XI. 3. 16. „Cyclopes quoque eadem India gignit, et dictos Cyclopes eo.

quod unum habere oculum in fronte media perhibentur. Hi et ἀγριοφυγῆται dicuntur propter quod solas ferarum carnes edant“. Huius cognominis explicatio, quam profert Isidorus, optime significationem explicat verbi Indici *lalâtâks'a* (oculum in fronte habens), quo homines monoculi in Indicis poëmatibus designantur Mahabh. II. 1837. III. 16137., de quibus locutus est Schwanbeck. de Meg. p. 69. Sic et Sirenes in India memoratas reperimus (Plin. X. 49.), qua designatione aperte Deae musices, quas Indi *Apçaraçâs* vocant, intelligendae sunt.

34) Chil. VII. 638. sqq.

Ὁ Σκύλαξ οὗτος γράφει δὲ καὶ ἕτερα μυρία
περὶ γε μονοφθάλμων τε καὶ ἐνοτικιόντων
καὶ ἐκτραπέλων ἄλλων δὲ μυρίων θεαμάτων.

Sic et narrat Ὠτολίκνους, Σκιάποδας³⁵⁾ quos et Hecataeus³⁶⁾ refert.

Adde Strabonis testimonium³⁷⁾: Ἡσιόδου δ' οὐκ ἂν τις αἰτιάσαιτο ἄγνοιαν, ἠμίκυνας λέγοντος καὶ μακροκεφάλους καὶ Πυγμαίους οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ Ὀμήρου ταῦτα μυθεύοντος, ὧν εἰσι καὶ οὗτοι οἱ Πυγμαῖοι. οὐδ' Ἀλκμᾶνος στεγανόποδας ἰστοροῦντος, οὐδ' Αἰσχύλου κνυοκεφάλους καὶ στεγνοφθάλμους καὶ μονομμάτους.

Quae quum ita sint, restat ut investigemus, quinam fuerint fontes Ctesiae in rebus, quae ad Indiam pertinent, describendis.

Primum autem, si nonnulla certa vestigia excipias, quivis vel primo ad spectu animadvertet, Ctesiam in Indiam non venisse.

Verumenimvero ex iis, quae de India refert, multa ipse vidit, ut saepissime testatur. In hac quaestione autem de Ctesiae libri fide hanc rem accuratissime ut exploremus, omnino necesse est: nam inde fides scriptoris nostri maior an minor sit, quam maxime apparebit. Vinum et caseum omittamus, quae ab ipso visa esse, ex eo concludi potest, quod utrumque optimum atque a se gustatum esse dicit: inde saltem apparet, inter Persas et Indos commercium aliquod fuisse³⁸⁾. Praeterea Ctesias, quod ipse perhibet et nos iam demonstraturi sumus, multa vidit, quae in magno pretio et ex India in Persiam importata erant.

Vidit gladios Indicos³⁹⁾, quam rem maximi pretii fuisse coniecere licet tum ex eo quod Ctesias sibi duos alterum a Persarum rege alterum a Parisatyde dono datos esse refert, tum ex egregia Indicorum gladiatorum natura. Nam Indici gladii, quos maxime antiquis temporibus propter duritiem notos fuisse scimus⁴⁰⁾, hodiernum nomen *Wutz* ex Indico *vag'ra*, quo significatur adamas, propter splendorem tenent⁴¹⁾. Chalybem Indicum pellucidum esse auroque ita similem, ut discerni utrumque non possit, testatur Antigonus Carystius⁴²⁾.

Deinde vidit ipse *elephantos*⁴³⁾ Babylone, non longe igitur ab eorum patria, quae terra eiusdem fere atque India aëris est particeps; et id maximi est momenti ad fidem Ctesiae defendendam contra Aristotelis⁴⁴⁾ vituperationem, cuius haec sunt verba: *Κτησίας γὰρ ὁ Κνίδιος, ἃ περὶ τοῦ σπέρματος τῶν ἐλεφάντων εἴρηκε,*

35) Tzetz. Chil. VII. 629 sq, 631 — 638. Philos. 2., Apoll. III. 14.

36) Fragm. 265.

37) Strabo I. 43.

38) Ctes. Ind. 29.

Fortasse est vinum in numero munerum, quae Indi ad Persarum regem miserant, de quibus saepius loquitur Ctesias; nam testimonio Aristobuli (Strab. XV. 694.) constat

vinum in India esse rarissimum, quod nostri quoque temporis ratione firmatur.

39) Ind. 4.

40) A. G. a Schlegel: Berliner Taschenkalender 1829. p. 19.

41) Lassen. Ind. Alterthümer I. p. 238. Not. 4.

42) Histor. mirab. XLIX.

43) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. A. XVII. 29.

44) De generat. Animal. II. 2.

φανερὸς ἐστὶν ἐψευσμένος· φησὶ γὰρ οὕτω σκληρύνεσθαι ξηραίνόμενον, ὥστε γίνεσθαι ἡλέκτρον ὅμοιον τούτῳ δ' οὐ γίνεται, quo tamen in loco ille non de semine virili, sed de humore loquitur illo, qui ex elephantorum marium, cum ardore coeundi conflagrent, temporibus manet; qui quidem humor, postquam durti-
 ritiam accepit, in cute elephantum flavum recipit colorem: cuius rei luculentissimum exemplum reperitur in hoc carminis Mēghadūtae⁴⁵⁾ loco: »Rêvâm fluvium
 »videbis, qui rupe impeditus sub Windhya monte in partes suas abit, sicuti
 »humor in membris elephantum distinguitur in plagis Bhaktitschêdae⁴⁶⁾.«

Vox bhûti, qua hoc loco poeta utitur, cum semen virile significat tum eadem humorem illum elephantorum notat et Ctesiae voci σπέρμα omnino respondet⁴⁷⁾. Huc accedit, quod elephantus in carmine Indico Hitopadesa *Carpûratilaka*⁴⁸⁾, h. e. »habens plagas colore camphorae similes«, vocatur, idque propter plagas, quae colore camphorae similes huius humoris effusione in corpore eius formantur.

Praeter Ctesiam nemo inter veteres scriptores hanc rem memorat nisi Megasthenes apud Strabonem⁴⁹⁾, qui praeterea hunc humorem tempore ardoris ex elephantum temporibus effluere optime observavit: Βιβάζονται δὲ καὶ τίκτουσιν, ὡς ἵπποι, τοῦ ἔαρος μάλιστα καιρὸς δ' ἐστὶ τῷ μὲν ἄρῳ ἐνι, ἐπειδὴν οἴστρω κατέχεται καὶ ἀγριαίνῃ· τότε δὲ καὶ λίπους τι διὰ τῆς ἀναπνοῆς ἀνίσχιν, ἣν ἔχει παρὰ τοὺς κροτάφους· ταῖς δὲ θηλείαις, ὅταν ὁ αὐτὸς οὗτος πόρος ἀνεωγῶς τυγχάνῃ. Quae quidem res quemadmodum apud Indos notissima fuit, ita, ut auctor est Schlegelius⁵⁰⁾, inter recentiores rerum naturalium perscrutatores ante Cuvierium a nemine est commemorata. Atque Cuvierius ipse in hunc errorem incidit, ut humorem illum certis temporibus revertentem ex ardore coeundi pendere negaret: cuius recentiorum erroris excusatio est, quod in terris frigori magis expositis elephantum ardore rarius conflagrant. Quae quum ita sint, mirari desinamus, quod Aristoteles, quippe qui elephantos sola tantum in Graecia observasset, Ctesiam vituperaverit, quodque inter veteres solus praeterea Megasthenes, quippe qui et ipse in India diutius versatus sit, hanc rem tradiderit.

Praeterea vidit oleum arboris cuiusdam, cui nomen *carpion*⁵¹⁾ graece μυρο-

45) Mēghadūta. Sl. 19.

46) Verbo Bhaktitschêda, i. e. adorationis fissura, intelliguntur notae in fronte, naso, genis, pectore et brachiis pictae, quae Wishnuis cultorem designant. Wilso ad Wishnu Purâna p. 550.

47) Altera vox *mada* (ebrietas) Megh. 20. Nat. ed. Bopp. 13. 7., qua hic humor designatur, ardorem notat elephantum, et *matanga* (pro *mattanga*) ex ebrietatis notitia nuncupatur elephantum, cum hunc humorem profundat.

48) Hitopadesa. L. I. Fab. IX. p. 40. l. 16., 20., p. 41. l. 14.

49) Strab. XV. 705.

50) Schlegel: Indische Bibliothek I. 166.

51) Ind. 28. Hanc arborem eandem esse atque camphoram (Sanscr. *carpûra*), Benfeius (Hallische Encyclopädie Sect. II. T. XVII. s. v. Indien p. 304. b.) ex nominis origine cognoscere sibi visus est, quum vel ipsa Ctesiae verba ὄζει (δὲ) πάντων ἡδιστον eum erroris coarguere potuissent. Contra propter vocem

ρόδα, cuius odor suavissimus per quinque stadia sese extendit. Idem maximi esse pretii constat e Ctesiae⁵²⁾ verbis: μόνω δὲ βασιλεῖ κτητόν ἐστι τοῦτο καὶ τοῖς συγγενέσιν αὐτοῦ. Color olei est ruber, et de eodem dicit: ὄζει (δὲ) πάντων ἡδιστον.

Vidit deinde vestimenta colore purpureo ex insectis quibusdam confecta⁵³⁾, quae et in maximo pretio fuisse constat ex verbis Ctesiae qui tradit Persarum regem illa gerere.

Etiam excrementa avis cuiusdam, cui nomen est δίκαιος, conspexit; eadem mortem afferunt; quae pretiosissima fuisse constat, nam apud Persas nemo nisi rex ea habet et regis mater Parysatis⁵⁴⁾.

Tunc talum vidit asini Indici, quem pulcherrimum fuisse dicit⁵⁵⁾.

Martichoram illum vidisse bestiam, auctor est Aelianus⁵⁶⁾ his verbis: λέγει δὲ καὶ ἑωρακέναι τόδε τὸ ζῷον ἐν Πέρσαις Κτησίας ἐξ Ἰνδῶν κομισθὲν δῶρον τῷ βασιλεῖ Περσῶν.

Quamquam non dicit Ctesias vidisse se psittacum, colligi tamen id inde potest, quod Graece loqui potuisse illum testatur⁵⁷⁾. Nam ad eam facultatem ut adduceretur avis, conspexisse, imo dedisse operam eum necesse est, ut Graecas

μυρορόδα, qua Ctesias vocem Indicam κάρπιον interpretatur, Schlegelius oleum rosaceum ibi intellectum esse contendit (Berliner Taschenkalender 1829. p. 19.). Sed κάρπιον illud quod Ctesias describit idem esse atque rosam Bengalicam, omnino non potest intelligi; nam Ctesias eandem arborem magnitudine cedro aequalem esse dicit; at inter rosam Bengalicam et cedrum mirum quantum interest; deinde guttae olei Ctesia auctore laciniis petuntur, id quod de oleo rosaceo minime dici potest. Equidem potius censeo Ctesiam vocabulum Indicum voce μυρορόδα non nisi ideo interpretatum esse, ut Graeci, quid dicere vellet, in universum sentirent. Quid autem res sibi velit nescio, nam verbum κάρπιον non potest ex ulla voce Indica deduci. Tantum certo contendere potest notionem arboris cuiusdam, cuius guttae bene oleant, apud Indos vulgatam esse: quemadmodum autem saepissime fit, ut narrationes Graecorum historicas in Indorum tantum fabulis invenire possimus, ita adhuc commemoratio talis arboris tantum in fabulosa regione Indiae probari potest, ex qua tamen, quid vera possit credi, facile licet colligere. »In

»iugo Mandarae montis ex arbore, quae *Mango* »*diva* vocatur, fruges decidunt similes am- »brosiae et magnae quantum cacumen montis. »Disrumpentes succum effundunt *rubrum*, »plenum, dulcemque, et qui *quam iucundis-* »*simum extendit odorem*, et fluvium nomine »dictum Anurodá efficit, qui, quum ex Man- »dara monte praeceps volvatur, partem orien- »talem Ilávritae irrigat. Iaksárum mulieres, »quae Bhavániam comitantur, colligunt hunc »succum; et ventus hoc odore imbutus aëra »odorat *per decem Yodj'anas*.« Bhagavata Purána. T. II. L. V. C. XVI. Sl. 17. 18. 19. Quod autem poëta Indicus dicit odorem liquoris huius arboris *decem Yodj'anàs* (i. e. *viginti milliaria*) extendi, hoc non ita usurpare volumus, ut apertam Ctesiae magniloquentiam defendamus, qui odorem olei τοῦ κάρπιον per *quinque stadia* extendi dicat.

52) Ind. 28.

53) Ael. H. An. IV. 46. Cf. Ctes. Ind. 21.

54) Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ctes. Ind. 17.

55) Ctes. Ind. 25.

56) H. A. IV. 21.

57) Ctes. Ind. 3.

voces eadem perciperet; neque hanc rem efficere potuisse putandi sunt ceteri Graeci in aula Persica versantes, quippe qui ut captivi et capitis damnati vix tali re delectarentur⁵⁸).

Denique, quod summi momenti esse postea exponemus, vidit Babylone rectores elephantorum⁵⁹), item quinque homines et duas mulieres λευκοτάτους πάντων⁶⁰).

Neque cetera, si argumentum eius historiarum respicimus, sibi ipse fingere vel mentiri potuit, cuius rei prior ignorantia antiquitatis Indicae est causa, sed ex aliorum ore percepit, id quod compluries profitetur: ex. gr. cum loquitur de igne, qui ex oleo vermis Indi fluvii conficitur, haec testatur: τούτω τοί φασι τὸν Ἰνδῶν βασιλέα καὶ τὰς πόλεις αἰρεῖν. Sic, ubi de numero elephantorum in exercitu regis Indorum loquitur: καὶ λέγει μὲν ταῦτα Κτησίας ἀκούσαι γραφῶν⁶¹). Sic de avi nomine δίκαιος⁶²): καὶ Ἰνδοὺς κτήσασθαι φασι εὐτυχήσαντας αὐτό⁶³). Quo loco de asino Indico agitur: ἐκ δὲ τῶνδε τῶν ποικίλων κεράτων πίνειν Ἰνδοὺς ἀκούω⁶⁴). Et ex Ctesia Aelianus⁶⁵): ἦν δὲ ἐν Ἰνδοῖς οὗ φασι γίνεσθαι κ. τ. λ.; atque de cynocephalis agens ait: ὑπὲρ δὲ τούτους ἑτέρους φασὶ βιοτεύειν⁶⁶). Et in prima parte narrationis de hac gente et ubi de valetudine Indorum loquitur⁶⁷), scriptura φασὶ Codicis Monac. praeferenda mihi videtur vulgatae φησί, cum de rebus agatur, quas ut Ctesias viderit fieri non potuit.

Sed et ipsis Ctesiae⁶⁸) verbis utrumque fontium suorum genus aperte denotatur: ἐπάγων ὡς τὰ μὲν αὐτὸς ἰδὼν γράφει, τὰ δὲ παρὸ ἀντῶν μαθὼν τῶν εἰδότων.

Iam alia quaestio adeunda mihi videtur, utrum Ctesiae narrationes a Persis, an potius ab Indis originem deducant. Ad hanc quaestionem diiudicandam primum scire opus est num Ctesiae temporibus Persae cum Indis commercii vinculo ita fuerint coniuncti, ut Ctesias ab Indis edoceri potuerit.

Atqui ipsum se quinque viros Indicos et duas mulieres easque λευκοτάτους πάντων vidisse declarat⁶⁹). Hi, quamquam neque incolae regionis Cashmyrensis fuisse videntur, ut Heerenius⁷⁰), neque Brahmanae, ut Blunius⁷¹) ne

58) Ctes. Pers. 60. Plutarchus Vit. Artaxerx. cap. XVIII. p. 1020. A.

59) Fragm. ap. Ael. H. An. XVII. 29. Vox Indus pro rectore elephantanti post Alexandri demum mortem reperitur. Schlegel. Ind. Bibl. I. 179.

60) Ind. 9.

61) Ael. H. An. V. 3. Cf. Ctes. Ind. 25., 26.

62) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. XVII. 29. Ctesias quantum omni iudicio careat, ex hoc exemplo concludi potest. Nam ad hunc Ctesiae locum observavit A. G. a Schlegel, omnes Indiae elephantos tantam multitudinem

non efficere, etiam si tota peninsula sub unius regis ditione tempore Ctesiae fuisset; quod tamen non fuit (Ind. Bibl. I. 152.).

63) Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ctes. Ind. 17.

64) Ael. H. An. IV. 52. Cf. Ctes. Ind. 25., 26.

65) H. An. XVI. 37.

66) Ctes. Ind. 24.

67) Ctes. Ind. 15., 20.

68) Ctes. Ind. 33.

69) Ctes. Ind. 9.

70) Heeren Ideen etc. I. 1. p. 367—371.

71) Blum. p. 139.

levissimis quidem argumentis nisi contenderunt, tamen erant Aarii Indi, i. e. pertinebant ad Indogermanos, non ad aborigines; iidemque multa profecto Ctesiam poterant edocere.

Porro Babylone Indos vidit, qui elephantos dirigebant⁷²⁾, diversos profecto a septem prioribus, quos et ipsos de patria sua Ctesias interrogare potuit. Porro deprehendimus dona a quodam mahârâg'â (*βασιλεύς*) missa, cuius haec apud eum nomina sunt: ὁ βασιλεύς τῶν Ἰνδῶν⁷³⁾, ὁ βασιλεύς⁷⁴⁾. Sunt autem illa dona gladii⁷⁵⁾, martichoras bestia⁷⁶⁾, excrementa avis, quae mortem afferunt⁷⁷⁾.

Adhuc igitur certum est, in regno Persarum atque in aula regia Indos versatos esse, quos Ctesias percontari de eorum patria poterat. Patet igitur ex his rationibus commercium inter utramque gentem ad Ctesiae aetatem perdurasse: itaque eum occasio non deficiebat indicia ab ipsis Indis accepta libro suo inserendi.

Nominibus Indicis quae Ctesias affert, comparatis cum Indicis vocibus, scriptura similibus, quae cum interpretatione quam dedit scriptor noster congruunt, iam satis praevalida esset ratio, cur crederemus, Ctesiam in multis rebus Indos auctores secutum esse. Exempla afferam: *βαλλάδη*, i. e. *ὠφελίμη*⁷⁸⁾ Sanscr. *baladâ*, vires praebens; *corocottas*, *κυνόλυκος* Sanscr. *carataca*, i. e. *croshâ*, *chacal*⁷⁹⁾; *martichoras*, i. e. *ἀνθρωποφάγος*, Sanscr. *martiagara*, homines vorans⁸⁰⁾.

Neque tamen prorsus destituti sumus Ctesiae ipsius de eadem re testimoniis in iis, quae de Indicis adhuc supersunt; quae testimonia alii scriptores qui Ctesiam exscripserunt servarunt. Sic legimus apud Aelianum ex Ctesia, quo loco martichorae bestiae regi Persarum dono datae mentio fit: *φησὶν ὁμολογεῖν ἀντιᾷ τοὺς Ἰνδοὺς*⁸¹⁾. Sic et testimonium Indorum de gryphibus apud eundem: *Ἰνδοὶ δὲ οὐ φασιν αὐτοὺς φρουροὺς εἶναι τοῦ προειρημένου*⁸²⁾. Adde fragm. incertum apud Plinium⁸³⁾ supra laudatum, ubi de arundine Indica dicitur: „Differre mares ac feminas in his quoque *Indi tradunt.*“

72) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. XVII. 29.

73) Ind. 11. — Ind. 31. Ael. H. An. V. 3. Cf. Ind. 27., Ind. 22., 28. Ael. IV. 41. Cf. Ind. 17.

74) Ael. H. An. XVII. 29. Ind. 14. 22. De significatione verbi *βασιλεύς* conf. Bohlenium *Alt Indien* I. p. 90—91.

75) Ind. 4.

76) Ael. H. An. IV. 21. Cf. Ind. 6, 7.

77) Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ind. 17.

78) Ind. 30.

79) Ctes. Ind. 32. Vox *carataca* significat corvum, at in *Hitopadesa* (Lib. II. Fab. I. p. 47. l. 20, 21) reperitur pro animali, quod idem fuisse censeo atque *crosham*, i. e. ca-

nem aureum, nostrum *chacal*. De litterarum ordinis permutatione quam Graeci in hac voce fecerunt cf. *Schwanbeck*, de Meg. 3.

80) Ctes. Ind. 6—7. *Pott*, *Etymologische Forschungen*. I. p. 220. 71. Haec tamen explicatio non ita est firma, cum vox *Martia* tantum a poetis adhibita esse videatur. Fortasse verior interpretatio ex voce veterum Persarum, quae idem valet petenda est: praeterea vox Persica *cara* idem significat atque Indica *gara*.]

81) Fragm. Ctes. ap. Ael. IV. 24. Cf. Ind. 6—7.

82) Ael. H. An. IV. 27. Cf. Ind. 12.

83) *H. Nat. L. XVI. C. LXV. 3*. Ed. Paris.

Contra vox Hypoboras, i. e. omnia in se ferens bona⁸⁴⁾ quum explicari possit vocibus *subha-bara*, i. e. felicitatem afferens, sive "Υπαρχος, quae in excerpto Photii explicatur vocibus φέρων πάντα τὰ ἀγαθὰ⁸⁵⁾, quod respondet vocibus Indicis *Su-bhara* (felicitatem afferens)⁸⁶⁾, sibilante sanscritica in aspiratam litteram sive spiritum asperum Graecorum mutata, probabile fit illius rei memoriam una cum voce Ctesiae a Persis esse proditam⁸⁷⁾.

Adicias duo testimonia, ex quibus constat Bactros quoque auctores Ctesiam secutum esse. Primum ubi de gryphibus aurum custodientibus loquitur, Bactros testes affert, ut ex his verbis concludi potest: καὶ Βάκτροι μὲν γειπνιῶντες Ἰνδοῖς λέγουσι⁸⁸⁾; deinde narratiunculam, quam habet Bactriani cuiusdam mercatoris, cuius gemmas pantarbe lapis in flumen Indum detraxit⁸⁹⁾ sine dubio a Bactrianis accepit.

Porro tantum non concludi potest Ctesiam, quae de loco sacro tradit⁹⁰⁾, a Bactrianis accepisse: Bactrianus enim mercator possidet⁹¹⁾ gemmas, quas pantarbe attrahit in Indo fluvio, quae quidem e monte Sardus petuntur⁹²⁾. Praeterea, quae de decemplici solis magnitudine, de mari prope ferventi et aliis eiusdem generis⁹³⁾ dicuntur, paene incredibile est, ab Indis ipsis ei esse nuntiata. Fortasse id, quod primum ingentes solis ardores significaverat, fama, ut fieri solet, per varias terras populosque gliscente, hoc modo depravatam ad eius aures pervenerat.

Manifesta igitur sunt, quae hactenus sunt disputata; quae qualiacunque sunt, age, in brevius contrahamus: Ctesias de rebus locutus est, quae aut ipse vidit aut ab Indis vel a Persis accepit. Nemo autem putet, inter ea, quae alterutris tribuenda sint vel Indis vel Persis, accurate diiudicari posse.

Quod ad locum attinet, quo observationes et indicia sua collegerit, fatendum est, aptiorem fuisse nullum aula regia, quam etiam ea, quae apud Persas se vidisse narrat, satis indicare videntur.

In aliam vero sententiam Blumius⁹⁴⁾ discedit, ita ut Ctesiam ad cognitionem, quae tamen quam exigua sit facile cognosci potest, rerum Indicarum comparandam in Bactrianos se contulisse arbitretur. Has autem causas affert.

1) Primum dicit, Artaxerxem cum Bactrianis, Darium II. Ochum cum satrapis, qui descissent, bella gessisse; sed profecto mirum est, quod inde sequi

84) Plin. H. N. L. XXXVII. C. 2. fin. Sect. XI. p. 770. Hard. Cf. Ctes. Ind. 19.

85) Ctes. Ind. 19.

86) Pott Etymologische Forschungen I. XXXVI.

87) Utut est, tamen dubium videri potest, num *boras* translatum sit ex Indica voce *bara*: solet enim, ut Lassenius V. D. assueta benevolentia mecum communicavit, in

fluviorum nominibus terminari *vahu*: ideoque totam hanc quaestionem dubiam relinquere praestat.

88) Ael. H. An. IV. 27. Cf. Ctes. Ind. 12.

89) Ctes. Ind. 2.

90) Ctes. Ind. 8.

91) Ctes. Ind. 2.

92) Ctes. Ind. 5.

93) Ctes. Ind. 5.

94) Blum. p 131.

dicit, in huiusmodi expeditione aliqua Ctesiam regis videndi causa in Bactrianos venisse.

2) Deinde etiam spatium, quod inter Ephesum et Bactra intercedit, Ctesiam, nisi in Bactris fuisset, indicare tam accurate non potuisse putat⁹⁵). Ibi vero nihil aliud legitur quam: ἀπὸ Ἐφέσου μέχρι Βάκτρων καὶ Ἰνδικῆς ἀριθμὸς σταθμῶν, ἡμερῶν, παρασαγγῶν⁹⁶). Neque iterum immerito, si ita esset, ut Blumius statuit, Ctesiam in India fuisse, nobis contendere liceret, quod ipse tamen aperte negat⁹⁷). Quin in Indicis⁹⁸) quam longe mons, ubi Sardo reperitur, a sacro loco absit, (id est quindecim dierum spatio) indicat.

3) Tertium documentum Blumius in diligenti metallorum Bactrianorum descriptione⁹⁹) invenisse sibi videtur. Nemo tamen, opinor, his verbis: ἀργύρεα μέταλλα οὐ βαθεὰ, ἀλλὰ βαθύτερα εἶναι φησι τὰ ἐν Βακτροῖς, descriptionem horum metallorum diligentem contineri putaverit, ob quam faciendam Ctesiam in Bactrianos proficisci necesse fuerit.

4) Aliud argumentum ex narratiuncula, quam quasi ἐν παρόδῳ de mercatore quodam Bactriano affert Ctesias¹⁰⁰), est petatum. Sed non difficile credi potest, Ctesiam tam levis momenti narratiunculam, quamvis nullo in Bactrianos itinere facto, componere potuisse.

Prorsus omni ratione caret Bachrii¹⁰¹) opinio, qui τοῦ καπήλου idem esse quod καπήλου τινός putat. Nam ex consuetudine sermonis id verbis: καπήλου του exprimendum fuisset. Vix autem dubium est, quin Photius aliquid praetermiserit, quo factum est, ut causam, cur mercator ille narrationi inseratur, non perspiciamus; qua in sententia confirmor verbis excerpti, ἄτινα ἦν τοῦ Βάκτρων καπήλου: quae aliquid a Ctesia iam relatum esse indicant.

5) Denique Blumius aliquod Bactrianorum ipsorum testimonium Ctesiae profert¹⁰²). Sed nescio, cur inde colligendum sit, Ctesiam in Bactrianos venisse; nonne potius iustas causas habemus, cur eum in aula regia, in qua homines omnium provinciarum, ut fit, multum versari solerent, cum Bactrianis quoque convenisse existimemus, praesertim cum Indos multo remotiorem terram habitantes Babylonem venisse videamus¹⁰³)? Accedit, quod in eodem Aeliani loco exstat etiam Indorum de eadem re testimonium, ex quo eodem iure concludi possit Ctesiam Indiam adiisse. Magis etiam Blumii opinioni repugnant:

1) quod ex Persicis historiis satis apparet, Ctesiae cognitionem, quam habuit regionis Bactrianorum, non ita magnam fuisse,

2) quod nullo ipsius exstante testimonio eum in Bactrianis quidquam vi-

95) Blum. p. 132.

96) Pers. 64.

97) Blum. p. 137.

98) Ctes. Ind. 8.

99) Ctes. Ind. 11.

100) Ctes. Ind. 2.

101) Adnotatt. ad. Ctes. Ind. p. 267.

102) Ael. H. An. IV. 27. Cf. Ctes. Ind. 12.

103) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. XVII 29.

disse, ubi ex rebus, de quibus agit, locum concludere possumus, alii semper loci intelligenda sunt. Sic, ut elephantos omittam, quos Babylone vidit, gladium a Parysatide, quae certo in Bactrianorum terram non venerat, accepit; apud eandem vidit etiam excrementa avis, quae mortem afferebant¹⁰⁴).

Verumenimvero ex hac Bactrianorum tam frequenti mentione rectius concludi potest de iis rebus, quas Persis debuerit, per eos, qui orientales regni partes incolebant, notitiam ad Ctesiam pervenisse; quam ad sententiam confirmandam adhiberi potest testimonium Ctesiae ipsius: τὰ δὲ παρ' αὐτῶν μαθὼν τῶν εἰδότηων¹⁰⁵).

Sic ut huic investigationi finem imponamus paucis verbis haec statuenda: Ctesias in rebus Indicis describendis eis usus est, quae in principali civitate Persarum imperii sibi praesto essent. Singula ipse vidit; maximam autem partem harum rerum ex narrationibus aliorum edoctus est vel Indorum vel Persarum, et inprimis incolas orientalium partium Persarum regni narrationum suarum auctores habuit.

II. DE CTESIAE FIDE.

Priusquam in singulas Ctesiae narrationes inquiramus eorumque de auctoritate sententiam exponamus, hac de re in universum disserere necesse est. Quamobrem primum, quid veteres et recentes de Ctesiae fide iudicaverint, deinde de fide ipsa huius scriptoris dicemus.

De Ctesiae Indicon fide non ita multo, postquam scripta sunt, veteres iudicarunt in eisque primus Aristoteles, a quo quum in universum οὐκ ὦν ἀξιόπιστος¹⁰⁶) dicitur, tum ubicunque de narrationibus eius singulis agitur, ipsius fides in dubitationem vocatur¹⁰⁷). Quod quidem haud sane auspdatum iudicium adeo fere totam pervagatur antiquitatem, ut vix ab ullo scriptore Ctesias commemoretur, a quo non idem mentitus esse dicatur¹⁰⁸).

Licet Ctesiae multa adiumento fuerint, tamen patet scriptorem illum non ita magni iudicii fuisse. Quamvis enim is esse videatur, qui permulta legerit vel observavit, ut intelligere possumus ex quibusdam narratiunculis, quae ad diversas Europae regiones pertinent, quibus quidem utitur ad fidem narrationum

104) Fragm. Ctes. ap. Ael. (I. 1.) Ctes. Ind. 4., Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ctes. Ind. 17.

105) Ctes. Ind. 33.

106) Hist. An. VIII. 28.

107) Hist. An. II. 1. (II. 3. 10. Schneid.), III. fin., p. 128. Schneid. Gener. An. II. 2.

108) Arr. Exp. Al. V. 4. 2, Lucian. Ver. Hist. I. 3, Strab. I. p. 43.

suarum de India in Graecorum animis firmandam¹⁰⁹): tamen ex fontibus suis omnino pendet, neque diiudicare vel exquirere eius proprium esse videtur, quamvis semel quidem diserta ratione rem quandam exponere conetur¹¹⁰). Itaque Ctesias fide digniorem in Persicis quam in Indicis se ostendit, quod inde explicandum est, quod in Persicis fontes meliores adhibuit quam in altero libro. Tamen fontium valorem, quibus usus sit, laudibus efferre et diligentis verique scriptoris speciem simulare studuit: λέγει τ' ἀληθέστατα γράφειν, ἐπάγων ὡς τὰ μὲν αὐτὸς ἰδὼν γράφει, τὰ δὲ παρ' αὐτῶν μαθὼν τῶν εἰδότεων¹¹¹).

Etsi exiles sunt eius narrationes, tamen non multo minor est auctor Alexandri comitibus, quamquam illi tantam de se habent opinionem, ut eos, qui antea de India scripserant, Scylacem vel Hecataeum, Herodotum vel Ctesiam ne verbo quidem memorent¹¹²), qua de re copiosius egit Schwanbeckius¹¹³). Nam in iis tantum, quae ad regiones pertinent, quas ipsi perlustrarunt, atque in iis quidem rebus, quas oculis ipsis viderunt in India, ampliores sunt et Ctesia graviores; in aliis rebus eodem collocandi sunt gradu atque ille, quum aliorum narrationibus contentos eos esse oporteret.

Ctesiam in rerum Persicarum quam Indicarum narratione fide maiore dignum esse, etiam Strabo vir iudicii minime expers intellexisse videtur. Persica enim nunquam vituperat, imo laudat¹¹⁴): Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι Κνίδιοι κ. τ. λ. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ Κτησίας ὁ ἰατρύσας μὲν Ἀρταξέρξην, συγγράψας δὲ τὰ Ἀσσυριακὰ καὶ τὰ Περσικά.

Indica minime aestimat¹¹⁵): Θεόπομπος δὲ ἐξομολογεῖται φήσας, ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖττον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος καὶ οἱ τὰ Ἰνδικὰ συγγράψαντες; immo fabulosas narrationes semper e Megasthene, nunquam e Ctesia sumit, etsi uterque easdem habet; bis tantum hunc de Indicis rebus disserentem atque non nisi festinanter laudat; quod ex ea ratione, qua de fonte loquitur, cuius aqua Ctesia auctore rex Indorum in litibus utatur, plane apparet; quam quidem rem cum Ctesias accuratius tractavisset, Strabo pauca tantum neque ea gravissima attingit¹¹⁶).

Attamen, quod fere semper a veteribus Ctesias increpatur, inde concludi non potest, parvam fuisse Ctesiae auctoritatem; quam magnam fuisse ex eo intelligitur, quod numerosa eius fragmenta nobis servata sunt; sic in vita Artaxerxis describenda saepissime Plutarchus quamvis vituperans¹¹⁷) cum excerpserit; de rebus

109) Ind. 10., 12., 32.

110) Ind. 9.

111) Ctes. Ind. 33.

112) Id summi momenti est ad fidem Ctesiae aestimandam; huius enim scriptoris singulae narrationes, ubi alioquin minus certe diiudicari possunt, confirmantur auctoritate scriptorum Alexandri, quippe qui Ctesiae

libro non usi idem de pluribus rebus dicant.

113) Schwanbeck. in commentat. de Megasth. p. 9.

114) Strab. XIV. 656.

115) Strab. I. 43.

116) Strab. XV. p. 689., XVI. 779. Cf. Ctes. Ind. 14.

117) Plut. Vit. Artax. init.

Assyriacis permulta ex eius Persicis sumsit Diodorus Siculus, ex Indicis Aelianus praecipue et Plinius.

Quae Ctesiae frequens laudatio, quum ad aestimandum eum multum prodest, tum non minus nocet: Ctesia enim magis neglecto fortasse plus aliorum scriptorum, qui de India graviora scripserint, nobis servatum foret.

Interea Graecos in Ctesiam animum attentissime vertisse facile creditu est. Graeci enim studiosissimi rerum curiosarum valde delectabantur narratione de India perlata, terra miraculorum omniumque rerum inauditarum plena.

Ante Ctesiae aetatem traditiones de India erant non nisi abruptae et debiles. Herodotus enim ne Indos quidem Indogermanici generis cognoverat, scilicet Arios, de quibus loquitur Ctesias¹¹⁸⁾. Accedit etiam, quod Ionica dialectus, qua Ctesias suavissime usus est¹¹⁹⁾, opus Graecis lectoribus iucundissimum reddebat.

Litterarum Indicarum Principis quam notissima sententia est, Ctesiae opere fortunam terrae nondum victoris exteri expertae omnino immutatam fuisse. Exstat heros, narrationes audit de terra mirabili, inflammatus cupit ipsas res inauditas spectare, cognoscere vult hanc terram, de qua Ctesias tot ac tam incredibilia scripsit. Philosophum mittit ad Indos¹²⁰⁾ ad mores eorum explorandos, de quibus Ctesias¹²¹⁾ multa retulit. Imperator alioquin tam callidus, tam prudens, ex optima arte bellica res gerere solitus, incerto duci confidens temporibus pluvialibus in Indiam pervenit¹²²⁾. Quamvis potentissimi reges existant et immensa pericula obstant, imperator praeclarus ipsum orbis terrarum finem petit, ubi nulli homines vivunt¹²³⁾, mare terram circumfluens videre vult¹²⁴⁾; solummodo militum, qui proeliis perpetuis et inopia rerum maxime necessariarum fatigati erant, seditione coactus, egregium conatum omisit; et mors eum impedivit, quominus victorias ultro persequeretur.

Quantum incitamentum opus Ctesiae Alexandro fuerit, apparebit consideranti, Aristotelem, eius praeceptorem, Ctesiae opus bene novisse. Accedit alia causa, levior quidem haec nec pariter ad demonstrandum idonea: canes enim Indicos Ctesias narraverat cum ipsis leonibus pugnare. Iam talium canum quum centum quinquaginta accepisset Alexander a Sopolthe donatos, ille statim ex eis duos cum leonibus in certamen mittit, *διαπέρας χάριν*, ut ait Strabo¹²⁵⁾. Mirus hic sane Ctesiam inter et Alexandrum consensus, quorum quod ille iam verbis indicaverat, hic re experiendum curavit. Quae res etsi non potest sola

118) Ctes. Ind. 9.

119) Dionys. Halicarn. V. 2. p. 9. ed. Wechel.; Demetrius Phalereus de elocutione, cap. de perspicuitate orationis §. 212.

120) Strab. XV. 715.

121) Ind. 8—15.

122) Indische Bibliothek I. 170.

123) Ctes. Ind. 1. *περὶ τοῦ μὴ οὐκ εἶν ἐπέκεινα αὐτῶν (Ἰνδῶν) ἀνθρώπους.*

124) Arrian. Exp. Al. V. 26. *ὅτι οὐ πολλὴ εἶτι ἡ αἰὼν ἢ λοιπὴ ἐστίν, εἴς τε ἐπὶ τὸν ποταμὸν τε Πάγγην καὶ τὴν ἐξ ἴαν θάλασσαν· ταύτη δὲ λέγω ὑμῖν, ξυναφῆς φανεῖται ἢ Ἐγκανία θάλασσα· ἐκπεριέρεται γὰρ γῆν περὶ πᾶσαν ἢ μεγάλη θάλασσα.*

125) Strab. XV. 700.

efficere, ut Alexandrum Ctesiae notionem habuisse statuamus, tamen coniuncta cum eis quas supra attulimus causis tanti momenti est, ut certe Ctesiae notitiam Alexandrum hac quoque in re habuisse aliquam coniectando statuere liceat.

Veterum de Ctesiae fide non ita speciosam sententiam in universum fere secuta est aetas posterior, ita ut de Ctesia quicumque locutus est, ad summam quod attinet, repetierit id, quod Aristoteles statuerat. Quam ob rem quoniam, qui Ctesiae fidem probare voluerunt, iis male fere res cessit omnibus, quippe qui rem summam ne attigerint quidem, cumque ea quae Lassenii praecipue merito ad Ctesiae fidem probandam accuratior Indiae cognitio contulit, singulis tantum narrationibus illustrandis inserviant: in universum non a re aberrabimus, si Aristotelis sententiam communem adhuc esse doctorum virorum dixerimus.

Nostro tandem saeculo ineunte, quum antiquitatis Indicae notitia aliquantum incrementi cepisset, dubitari primo modeste de communi omnium iudicio coeptum est. Huc referendus est imprimis Heerenius¹²⁶⁾, qui, ut solet, sagacissime breve quidem sed aptum de Ctesiae fide iudicium fecit. Hic enim observavit, Ctesiae narrationes ad ipsa Indiae loca fabulosa pertinere et M. Paulum bis mille annis post easdem fabellas proferre, quarum origo necesse est ex India sit petita.

Sed hoc loco in universum Heerenius desiit rem persequi; singula enim ut accuratius explicarentur, accuratior requirebatur litterarum Indicarum cognitio, quam quae tunc erat virorum doctorum.

Hac accuratiore cognitione instructi rem ii aggressi sunt, qui inde ex illo tempore doctius de Ctesiae fide iudicarunt. Wilfordius¹²⁷⁾ Ctesiae libro non multum curae impendit, sed ad famam eius purgandam plurimum contulerunt Schlegelius et Lassenius¹²⁸⁾.

Praeter haec litterarum lumina simul alium reperimus scriptorum ordinem, qui in universum antiquum iudicium constanter retinent; quorum quidem virorum pars fidem Ctesiae abiudicat, quorumque iudicium adhuc in litterarum Graecarum historiis pervulgatum est, pars fidem quidem tuetur, falsam tamen rationem inquit, cum explicationem Ctesiae non ex Indorum literis petat, sed eas narrationes, ut veras res fama deformatas interpretetur. Horum in numerum ex iis, qui de Ctesiae libro copiosius egerunt, referendi imprimis sunt Weyhrauchius¹²⁹⁾ et Cuvierius¹³⁰⁾. Quorum rationem interpretandi exempla probabunt haecce: Weyhrauchius homines in fronte media oculum habentes Sivaïtas esse vult

126) Ideen. I. 1. 366. seq. ed. III. 1815.

127) Asiatic Researches. VIII. IX. XIV.

128) Augustus Guilelmus a Schlegel Indische Bibliothek I. 151. sqq. Lassen in Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes. II. 40. 63. Sine dubio huc referendus est etiam Wilso (Notes on Ctesias), cuius tamen

librum cum non apud bibliopolas prostet, non nisi ex loco a Benfeio allato (Hall. Encyclop. s. v. Indien 17. Theil p. 41. b.) novi.

129) Dörptische Beiträge. 1814. I. pag. 384—415.

130) Cuvier: Ansichten von der Urwelt. I. p. 59—60.

propter ipsorum tilakae notam, et populum, qui odore vitam sustentet, tabaci fumum bibere; porro Pygmaeos et Cynocephalos simias esse arbitratur.

Baehrius solita diligentia omnia, quae ante eum erant allata, clare disposuit, et omnia colligendo ita rem instituit, ut legentibus integrum sit iudicium relictum de omnibus, in quae tunc temporis de Ctesiae libro erat ab iisdem scriptoribus inquisitum.

Lionium omitto, quippe qui nonnullas solum res explicare voluerit.

Aliam quandam viam iniit Tychsenius¹³¹⁾, qui, cum nomina Indica a Ctesia translata rursus reperire vellet, Relandi¹³²⁾ exemplum secutus in novam Persarum linguam incidit: qua in re interpretationes nemini non valde mirae se offerunt. Ex. gr. Tychsenius vocem *κροκόττας* (in lingua Sanscritica carataca, i. e. chacal), compositam esse vult vocibus *gurk kut*, i. e. lupus pedibus infirmus; qua de re omnem dubitationem removeri arbitratus est eo, quod *hyaena elargia*, i. e. pedibus infirma vocata sit. Verumenimvero Tychsenius ipse sensisse videtur, linguam Sanscriticam meliorem esse normam Persica, quamquam voces Sanscriticae, quas attulit, non ita magnam excitant expectationem de eius linguae Sanscriticae cognitione, cum in Paullino a Sancto Bartholomaeo¹³³⁾ sit posita, quae tamen res omnino non ei vitio est vertenda. Sed ut iudicium nostrum, legentibus ne iniquum videatur, probemus, exempla placet afferre haec: Tychsenio auctore significat *balam aqua, nallada bonus, caruva* interpretatur cinnamomum.

Hic subsistamus in iudicio nostro de prioribus Ctesiae interpretibus exponendo. Si nonnulli rem minus feliciter gesserunt, caussa huius infelicis successus in eo uno quaerenda est, quod in antiquitatis Indicae cognitione illo tempore viri docti nondum satis profecerant.

In hoc conatu interpretandi huius scriptoris, difficillimi inter eos qui de India scripserunt, tum propter textus corruptelam, tum propter diversitatem rerum quae in eo continentur, non pauca egomet desiderari profiteor. Hanc autem excusationem mihi afferre liceat, quod ex iis quae de Ctesia hic a me in lucem proferuntur, melius de illius scriptoris pretio iudicari posse spero.

Ad fidem examinandam scriptoris, qui magnam partem rerum tractatarum ex aliorum narrationibus hauserit, necessario diiudicandum est, quid oculis suis viderit, quid ex aliorum narrationibus referat. Fieri potest, ut quamvis sincerus scriptor aliorum narrationes secutus librum fide minime dignum scribat. Fides igitur Ctesiae ita est censenda, ut constituamus, an credi liceat necne, quae suis oculis se vidisse auctor narrat. Res, quas ex India allatas Ctesias ipse vidit, iam supra memoratae sunt. Quarum omnino fere nihil inve-

131) Cf. Heeren. Ideen. I. 1. p. 610. ed. I.

132) Reland. Diss. Miscell. I. diss. VI.

133) Dissertatio de antiquitate et affinitate

linguae Zendicae, Sanscredamicae et Germanicae. Patavii. MDCCCLXXXVIII. 4^o.

niri potest, quo fides eius in dubitationem vocetur; tamen nonnullae earum a Graecis tunc viventibus fabulosae haberi poterant. Si refert, ab elephantis arbores simul cum radicibus evelli¹³⁴⁾, si magna cum simplicitate enarrat, psittacum avem in India Indice loqui neque minus Graecum sermonem discere posse¹³⁵⁾, Graecus tantummodo illius temporis de his rebus dubitare potuit. Nec minus poterant mirifica videri ea, quae ab ipso de gladiis e chalybe Indico factis traduntur¹³⁶⁾. His enim nubes, grandines, tempestates propelli, idque se bis ipsum expertum dicit. Quod tamen non esse merum commentum videtur: nam, quam vim in deducendis fulminibus ferrum ac praecipue egregium illum chalybem Indicum constat habere, in ea illius rei fundamentum esse manifesto apparet. Quodsi Ctesias idem eodem loco de propulsatis nubibus atque grandinibus loquitur, chalybique tanquam ἀποτροπαίῳ προσητήρων longe aliam videtur vim, quam quae inest, tribuisse, mirari quidem ipsius superstitionem et credulitatem licet, accusare mendacii eundem non licet.

Quod de ave, cui nomen est δίκαιος, et eius excrementis mortem afferentibus dicit¹³⁷⁾, approbari adhuc non potest: quo refellatur, nihil tamen adest.

Neque definite constitui potest, quid sit arbor κάριον, cuius oleum ad quinque stadia odorem profundat¹³⁸⁾. Sed hic quoque deficit causa firma fidei eius in dubium vocandae, quanquam facile conici potest, eum non accuratius de amplitudine odoris illius cogitasse, quam ille Indicus poeta, de quo iam locuti sumus.

Is amor rei in maius proferendae in aliis etiam narratiunculis apparet; ut omittamus, quare gustus casei et vini Indici ei tam dulcis visus sit¹³⁹⁾, Indorum nonnullos, quos viderit, albissimos esse homines narrans¹⁴⁰⁾ aperte ostendit illud rerum augendarum studium satis excusandum eo, quod opinabatur, Indos fere omnes nigros (αἰθίοπες) esse¹⁴¹⁾.

Quamquam adhuc Ctesiam ipsum fide dignum et modo ad amplificationem propensum vidimus, tamen una eius historiarum omnino alia aestimatione digna est. Nam de Martichora aperte mentitus est: dicit enim ei aures esse humanis similes, eundemque aculeis, quibus munitus sit, homines aggredi et alia similia¹⁴²⁾. Sed hic fortasse sensibus suis deceptus est, et auribus fabulosa de hoc animali narratione Indorum impletis¹⁴³⁾ quum bestiam formidolosam ipse conspiceret, metu percussus, has Indorum narrationes veras esse censuit¹⁴⁴⁾.

Si haec omnia comprehendimus, Ctesias quidem oculis ipsis res vidisse, sed

134) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. VII. 29.

135) Ctes. Ind. 3.

136) Ctes. Ind. 4.

137) Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ctes. Ind. 17.

138) Ctes. Ind. 28.

139) Ctes. Ind. 29.

140) Ctes. Ind. 9.

141) Ctes. Ind. (I. I.).

142) Ael. H. An. IV. 21., Pausan. Boeot. (IX) 21. §. 4. p. 751., Plin. H. N. VIII. 21., Aristot. H. An. II. 1.

143) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. IV. 21. καὶ φησὶν ὁμολογεῖν αὐτῷ τοὺς Ἰνδοὺς.

144) Ael. H. An. (I. I.): λέγει δὲ καὶ ἑώρα-
κεῖναι τότε τὸ ζῶον ἐν Πέρσῃς Κτηρίῃς.

veritatem non accurate assecutus esse videtur; nequaquam historias suas nullo fundamento nisus conscripsit.

Nunc autem transeamus ad res, quas auditu tantum cognitae tractavit. Narrationes, quae ad hoc genus pertinent, reapse longe diversae sunt ab illis, quas supra tractavimus, iisque potissimum est factum, ut Ctesiae fides omni tempore suspecta fuerit. Sed primum a ceteris disiungendae sunt ea, quae quamvis ipsae minime falsae sint, solis Graecis falsae poterant videri. Huc pertinet id, quod narravit de gallis permagnis: intelligendae sunt enim gallinae Indicae, quas nos Franco-Galli vocamus coqs d'Inde, quod concludendum ex loco Aelianum¹⁴⁵). In hac narratione Aelianus Ctesiam auctorem secutus esse videtur: nam ex aliis scriptoribus nemo praeter eum eosdem gallos commemorat.

Addas, quae de simiis parvis dicit habentibus caudas quatuor cubitorum; hoc autem pertinet ad genus simiarum, quibus cercopithecis nomen est, quas Germani vocant Meerkatzen¹⁴⁶).

Similiter loquitur de ligneis vestibis, quas Philostratus¹⁴⁷) quoque memorat: βύσσον δὲ τοὺς φανερωτάτους αὐτῶν (sc. Ἰνδῶν) φασὶ ἐστάλλθαι· τὴν δὲ βύσσον φέρεσθαι δένδρον φασὶν ὁμοίου μὲν τῇ λευκῇ τὴν βάσιν, παραπλησίον δὲ τῇ ἰτέα τὰ πέταλα κ. τ. λ. Eisdem apud Indos notissimas fuisse nomine Valkala¹⁴⁸) constat. Sic et Graecis incredibile videri poterat, quum Ctesias commemorans arborem bombycem ferentem diceret, *in India arbores esse, quae lanam ferrent*¹⁴⁹).

Quod ad reliquam partem attinet, non modo ei, qui fidem abiudicant Ctesiae, sed etiam plerique illorum, qui Ctesiam auctorem esse fide dignum probare studuerunt, nonnulla neglexerunt: primum enim Ctesias ipse sese narrationes aliorum sequi minime diffitetur; deinde negligentissime Photii excerptum conscriptum est; postremo, ne ii quidem, quibus Ctesias auctoribus usus est, ipsi mentiti sunt fabulas, de quibus agitur, quippe quae apud Indos pervulgatae sint.

Quarum rerum primam capite primo iam satis tractavimus, altera ultimo tractabitur, ita ut nunc de tertia sola disserendum sit. Neque tamen h. l. est nostrum explicare, quaecumque Ctesias tradiderit, quum adhuc ne fieri quidem possit plena omnium narrationum explicatio; sed partem illustrare studebimus, quanta opus sit, ut de fide Ctesiae recte possit iudicari.

Narratio quaedam, quae a veritate maxime videtur recedere, legitur¹⁵⁰); quem tamen locum si contuleris cum iis, quae de eadem re apud Plinium aliosque scriptores supersunt, facile intelliges, Photium h. l. res diversissimas confudisse.

Primum enim Ctesias refert, in montibus Indiae, in quibus calamus Indicus

145) Ael. H. An. XVI. 2. Cf. Ctes. Ind. 3.
146) Ctes. Ind. 3. Cercopithecorum sunt cercopithecii larvati, qui in India reperiuntur quorumque nonnulli simiis, quales Ctesias memorat, simillimi sunt. Goldfuss: Na-

turhist. Atlas Vol. I. P. II. p. 255—256.
147) Vit. Apollon. II. 20. p. 71.
148) Çakuntala ed. Boehlingk. Act. I. p. 8.
149) Serv. Honorat. ad Virg. Aen. I. v. 653.
150) Ctes. Ind. 31.

reperiatur, habitare quoddam hominum genus, quorum feminae semel duntaxat in vita pariant; eosdem Tzetzes¹⁵¹⁾ ἐνοτίκτονας appellat, quod nomen Baehrius¹⁵²⁾ fragmentis non satis diligenter inspectis in vocem ἐνοτοκοῖτας perperam mutavit.

Quae narratio, quamvis a veritate maxime abhorrere videatur, apud Indos est vulgata. Traditur enim in B'agavata-Purâna, in octo terris Indiae fabulosis feminas esse êcagarb'âs i. e. ἐνοτίκτονας¹⁵³⁾. Neque in hac re sola narrationis utriusque consensus perspicitur, sed etiam, ut Ctesias Macrobios esse homines illos refert¹⁵⁴⁾, ita B'agavatae-Purânae auctor decem millia annorum eosdem vivere ait¹⁵⁵⁾. Macroborum populum quendam in India inveniri, Graeci scriptores posterioris aetatis, quos Plinius¹⁵⁶⁾ profert, saepissime dixerunt; quas narrationes ad homines in montibus, quibus Uttaracuru nomen est, habitantes, referendas esse, iam probavit Lassenius¹⁵⁷⁾. Hic populus Ctesia auctore ducentos annos agit: itaque quum Indi iisdem vitam M. annorum attribuant, magis vituperandus est Ctesias, quod rem vel imminuerit. Fabulam hanc esse Indicam iam ex eo conspicitur, quod unus ex Alexandri comitibus et Megasthenes teste Plinio¹⁵⁸⁾ eandem narrat¹⁵⁹⁾. Quam ad rem magis etiam corroborandam inservit, gentem fabulosam in litteris Indicis memoratam inveniri nomine Svetakêsjâs¹⁶⁰⁾, i. e. homines albis capillis praediti, quum Ctesias referat hos homines habere albos capillos in senectute nigrescentes; ex quibus caussis omnibus concludi potest, historiam illam a Ctesia relatam Indis veteribus plane notam fuisse¹⁶¹⁾.

151) Chil. VII 638.

152) Ad l. c. Tzetzae p. 367. Not.

153) Verbo ἐνοτίκτονας vix Sanscrita vox êkagarb'â i. e. unum foetum concipiens reddi potest. Eius enim vocabuli Sanscritici, quod Ctesias per ἐνοτίκτονας vertit, origo posita esse debet in participio verbi cuiusdam significationis τίκτειν; nam in nominativo plurali Sanscritico genus femininum a masculino non distinguitur; quod si aliter se haberet, quivis Graecus minus ἐνοτίκτονας quam ἐνοτικοῦσαι dixisset.

154) Plin. H. N. VII. 2. 22. ed. Par., cf. Ctes. Ind. 31.

155) B'agavata-Purâna. T. II. L. V. Cap. XVII. Sl. 11. 12.

156) Plinius VII. 2. 20. ed. Par.

157) Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes II. 67.

158) Plinius l. l.

159) Fabulam Hyperboreorum rettulit et Chi Fa Hian: Le Yü tan yüé (Outtara-

courou) est au nord du Soumerou. Ce continent est carré comme une piscine; sa largeur est de dix mille yodg'anas. Le visage des habitants est de la même forme que le continent. Ils ont trente-deux coudées de haut, et vivent mille ans. On ne voit pas chez eux de mort prématurée. Cf. Foe Kou e Ki. p. 81. 4.

160) Harivansa 9540.

161) Fortasse etiam ex nomine Pandore (al. l. Pandare), quo Ctesias hanc gentem designat (Plin. l. l.), aliquid afferri liceret ad fidem eius corroborandam. Nam nomine Pândara vel Pândura significatur primo loco flavus altero albus. Unus igitur ex quattuor ingentibus elephantis orbis terrarum molem sustentantibus vocatur Himapândura, i. e. colorem quasi nivis resplendens (Râmâyana L. I. C. XLI. Sl. 22.). Accedit, ut regio quaedam Pandura reperiatur in poëmatibus, quae vocantur Purânas (Wilford. Asiatic Researches. VIII. 363.).

Alius populus, qui cum eo, de quo hactenus dixi, a Photio confunditur, est octonos digitos habentium. Eadem narratio apud Megasthenem¹⁶²⁾ invenitur dicentem, eandem gentem esse *ὀπισθοδάκτυλον*, quos homines fabulosos *παç-k'ad-angulaias* in Indicis litteris accurate reddi Schwanbeckius¹⁶³⁾ comprobavit.

Sequuntur deinde apud Ctesiam¹⁶⁴⁾ homines auribus ingentibus, quorum a posterioribus etiam saepenumero mentio fit; hos quoque a Ctesia solo auditu cognitos fuisse, idem ex Indorum litteris patet, quibus nuncupantur *carnapravâranâs*, i. e. qui auribus corpus tegunt quasi panno¹⁶⁵⁾. Immo etiam Ctesias quum eorum aures usque ad cubitos dependere narret non integram Indorum narrationem reddidit.

Alii homines fabulosi sunt *Monocoli*¹⁶⁶⁾, neque horum mentio in Indorum litteris desideratur; occurrunt enim nomine *êcapâdâs*¹⁶⁷⁾. *Sciapodum* a Ctesia memoratur item gens, quae utrum una atque eadem gens fuerit ac *Monocolorum* necne, non certo diiudicari potest.

Una cum his in fragmento apud Plinium¹⁶⁸⁾ commemorantur *Trogloodytae* Sanser. *girigahvarâs*, i. e. in montanis cavernis viventes¹⁶⁹⁾, quos litteris Indicis minime deesse Schwanbeckius comprobavit, iisque finitimi quidam *cervice carentes* et oculos in humeris habentes, quos Graeci *στεροφθάλμους* vocant. Hoc quoque probari potest. Ab Indis nominantur *Skand'êmuk'âs* os in humeris habentes; *Prist'êmuk'âs* os in dorso habentes; *Prist'âks'âs*¹⁷⁰⁾ oculos in dorso habentes. Arabes quoque hanc fabulam audiverant¹⁷¹⁾.

Fortasse Ctesias etiam de *Monophthalmis* narravit¹⁷²⁾; ibi quoque Indorum traditionem exhibuit, nam in Indicis poematis nuncupantur *Êkavilot-s'anâs*, de quibus iam Schwanbeckius¹⁷³⁾.

Memorat *Pygmaeos*¹⁷⁴⁾ quoque, de quibus iam diserte locutus est Schwanbeckius¹⁷⁵⁾: existimat eosdem esse ac fabulosas gentes *Kirâtaram*; descriptionem enim faciei et staturae *Pygmaeorum*, quam perhibeant Graeci, simillimam esse narrationi ab Indis de *Kirâtis* traditae, et Indorum narrationem de praeliis huius stirpis cum ingentibus avibus commissis paene eandem esse.

162) Plin. H. N. VII. 2. 14. ed. Par.

163) Commentat. de Megasth. p. 68.

164) Ctes. Ind. I. I.

165) Lassen. Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes II. 40.

166) Cf. Fragm. ap. Plin. H. N. VII. 2. 16.

167) Lassen. I. I.

168) H. N. VII. 2. 16.

169) Mahâb. VI. 375. Cf. Schwanbeck. in commentat. de Meg. p. 67. not. 57.

170) Mahâbharata L. IX. Sl. 2591. 2611.

Hoc tantum offendit, quod Indicus poeta eos non inter gentes sed inter Deos adnumerat. Interea inservit locus allatus fidei Ctesiae conciliandae.

171) Gildemeister: De Arab. scr. p. 202.

172) Cf. Tzetz. chil. VII. 638.

173) Commentat. de Megasth. p. 70.

174) Ctes. Ind. 11.

175) Commentat. de Megasth. p. 65.

Deinde refert narrationem de fabulosa gente *Cynocephalorum*¹⁷⁶⁾, quos *Καλυστιρίους* vocat; quod verbum sono nulli Indico simile est, cui eadem significatio esse possit. Quamobrem *Vans Kennedy*¹⁷⁷⁾ coniecit, *Ctesiam* nomen Indicum *Calavastra*, i. e. nigris indutus vestibus, pro Indico habuisse, quod *Cynocephalos* significaret, perperamque esse interpretatum; eosdem quoque non diversos esse putat ab *Herodoti Calatiis*. Incertissima autem est haec opinio, cum *Ctesias* ceteras voces, quas Indicas esse demonstrari potest, accuratissime vertere soleat. Quin etiam eo procedit *Wilso*¹⁷⁸⁾, ut *Calavastrâs* illos in populo *Siah-Poshis* sive *Cafirs*, ut hodie vocantur, invenisse sibi videatur, quanquam *Siahposhis* nomen a *Muhamedanis* demum inductum est¹⁷⁹⁾. Nec maiorem laudem meretur comparatio a *Benfeio*¹⁸⁰⁾ eiusdem populi cum gente, quae *svapâkâs* vocatur, instituta; nam verisimile est, *Cynocephalos* unam ex permultis gentibus fabulosis Indorum esse¹⁸¹⁾. Probatus autem censeo, quamvis omnes codices idem exhibeant, errorem a *Photio* commissum fuisse in nomine, quod *Ctesias* eis dederat.

Sed *Ctesias* hunc populum miraculosum etiam alio nomine vocat, quod demonstrari potest *Pollucis*¹⁸²⁾ testimonio ex *Ctesiae* opere sumpto *οἱ δὲ Κυναμολγοὶ κύνες εἰσὶ περὶ τὰ ἔλλη τὰ μεσημβρινὰ, γάλα δὲ βοῶν ποιοῦνται τὴν τροφήν καὶ τοὺς ἐπιόντας τῷ ἔθνει τοῦ θέρους βοῦς Ἰνδικοῦς καταγωνίζονται, ὡς ἱστορεῖ Κτησίας.*

Hoc verbum *Κυναμολγοί* Graecum esse, quivis primo obtutu censebit; sed conturbatio augetur, si conferamus locum *Aeliani*¹⁸³⁾, quem ille se ex *Ctesia* hausisse contendit; tradit autem *Cynamolgos* vaccas possidere et mirabile creditu canes mulgere! Optime igitur haec difficultas solvi posse mihi videtur, si statuamus *Aelianum* memoria lapsum id, quod tradit ex *Ctesia* haustum esse, *Agatharchidi* debere¹⁸⁴⁾; hoc idem iam observavit *Baehrius*¹⁸⁵⁾. *Agatharchides* autem, qui *Ctesiam* non commemorat, *Cynamolgos* inter *Aethiopicas* gentes collocat, et recte mihi videtur *Schwanbeckius*¹⁸⁶⁾ coniecisse, *Agatharchidem* hanc rem ne dicam narrationem sed interpretationem ex *Hecataeo* hausisse. Huc accedit, quod *Pollux*, qui vocabula neque vero res commemorare

176) *Ctes. Ind.* 20—25.

177) *Encycl. von Ersch und Gruber zweite Section Theil 17.* p. 41. s. v. *Indien.*

178) In *Notes on Ctesias*, cuius operis hoc unum laudavit *Benfeius* (l. 1).

179) *Lassen. Ind. Alterthümer* 421.

180) *Hallische Encycl. von Ersch und Gruber s. v. Indien* p. 42. b.

181) Hanc fabulosam narrationem et ipse tradit *Megasthenes* ap. *Solin.* 57. f. et *M. Paulus III.* 21.

182) *Onomasticon V.* 5. 41. p. 497.

183) *H. An.* XVI. 31.

184) Quae enim *Aelianus* se ex *Ctesia* hausisse voluit, eadem sed accuratius exposita apud *Agatharchidem* reperiuntur. *Photius* p. 455. b. ed. *Bekker.*

185) In sua edit. *Ctes.* p. 353.

186) *Schwanbeck. Commentatio de Megasthene.* p. 3.

vult, minime curavit argumentum loci allati; quamobrem nihil impedit, quominus ei assentiamur. Huic rei alia subvenit corroboratio: Cynamolgi in Aethiopia¹⁸⁷⁾ habitare dicuntur, ibique describuntur non in modum canum mulgentium sed ut homines caninis capitibus; Ctesiam autem Indos saepius vocasse Aethiopes iam observavit Schwanbeckius¹⁸⁸⁾.

Quid ergo est mirum, quod Plinius et Solinus in Aethiopia Cynamolgos habitare dicunt? Accuratus de significatione huius nominis diiudicari licet: etenim vox *sunamuk'a*, quae in nondum editis Indicis carminibus teste Wilfordio¹⁸⁹⁾ occurrit, idem valet atque *κυνοπρόσωπος*. Hac autem voce idem significari quod voce *κυναμολγός* eo magis probatur, quod Aelianus¹⁹⁰⁾ *κυνοκεφάλους* in Aethiopia memorans eosdem *κυνοπρόσωπους* vocat; quam quidem narrationem Aelianus, si non ex Ctesia ipso, probabiliter ex scriptore hausit, qui Ctesiae testimonium, relicto verbo Aethiopiae fortasse adhibuerat¹⁹¹⁾.

Quos populos Ctesias plerumque in montibus habitasse dicit, eosdem in montibus Himalaiae collocant Indi, quos miraculis refertos esse censent. Minus igitur accurate a Ctesia quam ab Indicis litteris indicatur locus, ubi hae gentes reperiuntur. Omnino enim chorographiae non studuisse videtur.

Quod ad hanc partem attinet, nomina quaedam interim reperiuntur, de quibus disputare in animo mihi est.

Indum fluvium memorat, latitudinem multo augens¹⁹²⁾,

Hypoboram vel *Υπαρχον* fluvium adhuc ignotum¹⁹³⁾,

Βαλλάδην fontem ignotum¹⁹⁴⁾,

Fluvium cui nomen *Σίλας*¹⁹⁵⁾ inditum, in quo omnia mergantur. Hanc fabulam Lassenius V. D.¹⁹⁶⁾ in litteris Indicis non desiderari probavit. In se-

187) »Cynamolgi caninis capitibus« Plin. H. N. VI. 35. p. 347. l. 6. Hard. »Cynamolgos aiunt habere caninos rictus et prominula ora« Solin. cap. 30. p. 40. D.

188) Commentat. de Megasth. p. 1. sqq. Plerosque Indos quos commemorat Ctesias nigros esse dicit (Ind. 9.). Praeterea ex fragmentis ad Ind. 14. (Antig. Caryst. Hist. mirab. CLXV., Strabo XVI, p. 779., Plin. H. N. XXXI. 2. T. II. p. 547., Diod. Sicul. II. 14. fin.) apparet, a Ctesia permutata esse nomina Aethiopiae et Indiae. Photius quoque in excerptis nomen Aethiopiae semel retinuit (Ind. 32.), ubi corocottam memorat. Qua nominis confusione in errorem adducti sunt qui eum auctorem secuti de hoc animali locuti sunt: Diod. Sic. III. 34., Plin. H. N. VIII. 31., Aelian. H. An. VII. 22., Hesych. II. p. 351., Porphy. de abstin. III. p. 223. Rhoer.

189) Asiatic Researches. VIII. p. 331.

190) H. An. X. 25.

191) Quadrat huc quod Aelianus eos ponit in Aegypto: *κατὰ τὴν ὁδὸν εἰς Αἰθιοπίαν ἄγουσαν*, ultra solitudinem. Ctesias enim *Κυναμολγούς* circa paludes meridionales collocat. Porro descriptio, quae apud Aelianum invenitur, simillima est descriptioni, quam de aliis *Κυνοκεφάλους* in montibus versantibus praebet Ctesias. Ind. 20.

192) Arrian. Exped. Alex. V. 4. §. 2., cf. Ctes. Ind. 1.

193) Cf. supra p. 19.

194) Cf. supra p. 18.

195) Cf. Ctes. fragm. ap. Antig. Caryst. Hist. mirab. CXLVI., Plin. H. Nat. XXXI. 2. p. 549., Boissonnade: Anecd. gr. I. p. 419.

196) Lassen in Zeitschrift. II. 63.

ptentrionalibus Indiae partibus fluvius Çilas esse traditur, in quo omnia in lapides convertantur. Exinde concludi potest omnia mergi. Voce Sanscritica Çila significatur lapis.

Fluvium melle fluentem¹⁹⁷⁾: quod sine dubio nomen est translatum ex fluvio, qui sub nomine Mad'uvahinî¹⁹⁸⁾ i. e. mellifluens memoratur.

Omnino minus accurate de amplitudine Indiae disserens hanc terram dimidiam totius Asiae partem esse contendit¹⁹⁹⁾; quod excusari eo magis potest, quum de hac re ne comites quidem Alexandri certum quoddam proferre ausi sint, et primus Megasthenes aliquantum veriore sententiam tradiderit²⁰⁰⁾.

Neque accuratius de numero Indorum refert, quos dicit prope ceteras orbis gentes universas numero superare²⁰¹⁾.

Quod gentes attinet quas certo nomine designat, haec reperiuntur:

Διοβαί vel *Διοβαῖοι*²⁰²⁾, quos Lassenius²⁰³⁾ coniecit eosdem esse ac Darvâs Casmyrensibus affines.

Gens, cui nomen dat Pandore²⁰⁴⁾.

Praeterea locum in regione quadam deserta narrat Ctesias²⁰⁵⁾, quem Indi sub nomine solis et lunae venerantur. Ex Ctesiae loco coniecere licet, eum de consuetudine Indorum loqui, in remotissimas terras peregrinationes sacras suscipiendi; et quod locum illum in solitudine situm esse dicit, id nos commovet, ut credamus eundem esse locum atque illum, quo lacus sacri siti. Totam terram vocat Moorcroftius²⁰⁶⁾ Deo-Su.

De iustitia et moribus Indorum multa a Photio omissa sunt, ut ipse fatetur²⁰⁷⁾.

Narrat²⁰⁸⁾ de fonte aliquo, cuius aqua rubra sit et condensetur, simul atque ex eo hauriatur. Quae aqua, si cum vulgari aqua mixta cui datur bibenda, quaecunque commiserit patefacit; mente enim alienatur. Ea autem utitur rex erga reos, qui an obiectis criminibus sint affines, certo velit cognoscere; qui id, de quo accusatur, effutiverit, eum morte inediae affici rex iubet (*ἀποκατεργῆσαι*): sin indicio suo nullius criminis vincatur, absolvitur. Singularis autem haec vis illi fonti attributa et quaecunque de eius natura mira a Ctesia narrantur, nos eo adducere possunt, ut recte fortasse dubitemus, num omnino talis fons in India

197) Ind. 13.

198) Cf. Wisnu-Purâna. p. 183.

199) Arrian. Exp. Al. III. 6., Strab. XV. p. 689.

200) Strab. (l. 1.).

201) Ind. 1.

202) Fragm. Ctes. ap. Steph. Byz. s. v. *Τλωσ*; item s. v. *Διοβαῖοι*. Cf. Ctes. Ind. 11.

203) Lassen: de Pentapotamia. p. 18. Not.

204) Cf. supra. n. 161.

205) Ctes. Ind. 8.

206) Moorcroft: Travels in the Himalaja provinces II. 263.

207) Cf. Ctes. Ind. 14.

208) Ctes. Ind. I. 1.

fuerit. Quin etiam Plinius²⁰⁹⁾ duobus locis commemorat, herbas in India inveniri eadem vi praeditas. Dubitationes autem nostrae num fuerit eiusmodi fons multo augentur eo, quod Sinensis viator Chi-Fa-Hian qui eandem fabulam refert, id quod istis viris accusatis bibendum proponatur remedium non fontem vocat²¹⁰⁾.

„Les habitants (du pays de Outchang, ou Oudyâna) sont faibles et trompeurs, fort adonnés aux pratiques superstitieuses, à la magie. On n'emploie pas les supplices dans ce royaume; les coupables qui auraient mérité la mort, *sont exilés dans les montagnes désertes* (ἀποκαρτερῆσαι)²¹¹⁾. Quand il y a des doutes sur la culpabilité, on les dissipe au moyen d'une boisson médicinale qui fait discerner le vrai du faux.“ Utrum autem fons sit necne omnino nolim affirmare. Gravioris momenti est scire, talia auxilia in rebus capitalibus animo Indici populi accommodata et usitata fuisse; quod liber legum demonstrat, ubi similiter res capitales diiudicantur. Talia auxilia vocantur Sanscr. Diviâs vel

209) Plin. H. N. XXIV. 102. p. 351., 352. Hard.

210) Sic memorat Ctesias (Ind. 4.) fontem auro et argento repletum de quo sic loquitur: ἔστιν ἐκεῖσε (in India) κρήνη πληρουμένη ἀνὰ ἔτος ὕγρου χρυσίου· ἐξ ἧς ἑκατὸν προχοαὶ ὀστρακινῶν ἀνὰ ἔτος ἀρῶνται. ὀστρακίνοις δὲ δεῖ εἶναι, ἐπεὶ πηγνυται ὁ χρυσὸς ἀπαρῶμενος, καὶ ἀνάγκη τὸ ἀγγεῖον θλάειν καὶ οὕτως ἐξάγειν αὐτό. ἡ δὲ κρήνη τετράγωνός ἐστιν, ἑκατάδεκα μὲν πηχῶν ἢ περίμετρος, τὸ δὲ βάθος, ὀργυιᾶ. ἐκάστη δὲ προχοὴ τάλαντον ἔλκει. Iam quod ex Ctesia tradit Photius: ἑκατὸν προχοαὶ ἀνὰ ἔτος ἀρῶνται, deinde quod fons τετράγωνος vocatur, satis largam praebent dubitationem quominus hoc ad verum fontem referamus. Accedit quod Ctesias (Ind. 12.) non in fluminibus sed in montibus aurum apud Indos inveniri dicit. Non mirum igitur si hanc narrationem Philostratus recipere non audeat. Conf. Philostr. V. Apoll. III. 45. p. 132. ed. Olear. Ex recentioribus, Wahlius (Erdbeschreibung v. Ostind. p. 744.) verbo κρήνη officinam in qua aurum excoquatur significari coniecit rationibus tamen non additis. Hanc autem coniecturam verisimilem esse censeo, nam ut aurum liquidum postea cohaereat, omnino necesse est excoquatur. Addas testimonium Herodoti (III. 96.) ubi de tributis loquitur, quae populi Persarum imperio sub-

iecti; quorum in numero et Indi (III. 94.), recensentur, regi pensitare debuerint. De hac re sic loquitur: τοῦτον τὸν φόρον (aurum sc. et argentum) θησαυρίζει ὁ βασιλεὺς τρόπῳ τοῦδε· ἐς πίθους κεραμίλους τήξας καταχέει, πλήσας δὲ τὸ ἄγγος, περιαιρέει τὸν κέραμον. Inter utramque narrationem nihil aliud interest nisi quod Ctesias de fonte loquitur, Herodotus de officina. Ideo quamquam rem in Persia Herodotus commemorat, attamen hoc loco valde in mea sententia confirmor, Ctesiam officinam intendisse; et rem vel in mirum auxisse, vel verum non discrevisse. Quod ferrum attinget in fontis auriferi fundo, locus mihi corruptus esse videtur. Nam cur ferrum in hoc fonte reperitur difficile est explicatu; quae tamen difficultas resolvitur, si ad ea quae praebet Monac. Codex respexeris, ubi verbis καὶ περὶ τοῦ ἐν τῷ πυθμένι τῆς κρήνης σιδήρου, haec substituuntur: ἔστιν δὲ ἑτέρα κρήνη ἣτις ἐξάγει σίδηρον: quibus ex verbis de hoc ferro concludi potest, aliam officinam in qua ferrum excoquatur Ctesiam significare voluisse.

211) Cf. Foe Koue Ki. p. 52. Haec verba „sont exilés dans les montagnes désertes“ non puto me errare, si interpreter voce ἀποκαρτερῆσαι, cum quod hac voce exprimitur omnino necesse sit consequi ex iis quae verbis supra allatis sunt significata.

pariks'âs, i. e. Ordalia. Novem eorum species referuntur, quibus accusati solebant inquiri. Prima, libra; altera, igne; tertia, aqua; quarta, veneno; quinta, aqua qua imbuta erant deorum simulacra; sexta, oryza; septima oleo fervente; octava, ferro candente; ultima imaginibus²¹²⁾.

Ait praeterea Indos non solere porcis vesci²¹³⁾; id confirmatur legibus **Manu**²¹⁴⁾.

Alia autem narratio Ctesiae ab Athenaeo²¹⁵⁾ nobis tradita, quae item ad iustitiam et mores Indorum pertinet, est: eorum regi non licere inebriari. Strabonis²¹⁶⁾ testimonio confirmatur haec Ctesiae narratio. Quin ad verbum Masùdus eadem refert atque Ctesias: »Indi a potu vini abstinent, quod cuilibet opprobrio afficitur, non propter religionem, sed ut ab omni re caveant, quae sibi »mentem obnubilare et ab eo cui destinata est, avertere possit. Et si iis regem »constat vino deditum esse, eum ut regnum abdicet cogunt, quum regimen et »administratio cum mente turbata non conveniat²¹⁷⁾.«

Quod ad venena, remedia et res utiles attinet, de quodam serpente cubitali venenato loquitur²¹⁸⁾ quem captum a cauda Indi ex arbore suspendunt, ut illi caput terram versus propendeat; tum sub eius os vas subiiciunt, in quod ex eius ore guttae redduntur quae ut primum deciderunt, continuo concrescunt, et condensantur, adspicienti amygdalinae lacrimae speciem praebentes. Liquore illo sagittae imbuuntur. Hoc ipsum quod apud Ctesiam, id apud Diodorum²¹⁹⁾ quoque, eodem modo narratum invenitur. Hoc autem alia narratione continetur quacum arctissime est coniunctum; et in tota descriptione quam Diodorus de Ale-

212) Manu VIII. 114. sqq.

213) Cf. Ctes. Fragm. ap. Ael. H. An. XVI. 37.: ad haec quod infra in part. tert. ad Ind. 13. disputabitur.

214) Manu V. 11.: Unusquisque Dvig'a abstineto avibus carnem vorantibus sine ulla exceptione, avibus quae in urbibus vivunt, quadrupedibus quorum ungulae non sunt divisae, iis exceptis, quos concedit scriptura sacra, et ave titit'iba — — — — — V. 14: carne milvi, balâkae, corvi, fringillae, bestiis quasi ancipitibus, quae pisces comedunt, *porcis mansuetis*, postremo omnibus piscibus quorum usus non conceditur. — — — V. 19.: Dvig'a qui consulto comedit boletum, *carnem porci mansueti* vel galli campestris, allium, vel allium porrum, vel caepam, illico excluditur.

215) Athenaeus. L. X. C. X. p. 434. E. Cas. Κτηνοίας δε παρ' Ἰνδοῖς, φησὶν, οὐκ εἶναι τῶ βασιλεῖ μεθυσθῆναι.

216) Strabo. XV. p. 710. Μεθύοντα δε κτείνασα γυνή βασίλεια, γέρας ἔχει συνείναι τῶ ἐκείνον διαδεξαμένῳ.

217) Gildemeister: de Arabum scriptt. p. 255.

218) Ctes, Ind. 16.

219) Diod. XVII. 103. Ὁ γὰρ τῶν βασιβίων σίδηρος κεχρισμένος ἦν φαρμάκου θανάσιμου δυνάμει ἢ πεποιοότες κατέβησαν εἰς τὴν διὰ τῆς μάχης κρίσιν. κατεσκευάστο δὲ ἡ τοῦ φαρμάκου δύναμις ἐκ τινῶν ὄψεων θηρευομένων, καὶ τούτων εἰς τὸν ἥλιον νεκρῶν τιθεμένων. τῆς δ' ἐκ τοῦ καύματος θερμασίας τηκούσης τὴν τῆς σαρκὸς φύσιν, ἰδρωτὰς ἐκπίπτειν συνέβαινε, καὶ διὰ τῆς νοτίδος ἐκκρίνεσθαι τὸν τῶν θηρίων ἴον. διὸ καὶ τοῦ τρωθέντος εὐθύς ἐνάργα τὸ σῶμα, καὶ μετ' ὀλίγον ὀξεῖαι συνηκολούθουν ὀδύνη, καὶ σπασμὸς καὶ τρόμος τὸν ὅλον ὄγκον κατεῖχεν· ὃ τε χροῖς ψυχρὸς καὶ πελιδνὸς ἐγένετο, καὶ διὰ τῶν ἐμέτων ἐξέπιπτε χολή· πρὸς δὲ τούτοις ἀπὸ τοῦ τραύματος μέλας ἀργρὸς ἀπέρρεε, καὶ σηπεδῶν ἐγεννήατο.

xandri expeditione exhibet, nullus praeterea locus proferri potest quem e Ctesia Diodorus hauserit; ita ut pro certo affirmare possimus, illam narrationem ex aliquo Alexandri scriptore depromptam esse. Commemorantur etiam a Megasthene²²⁰⁾ cubitales serpentes, qui celerem mortem afferant: Ἀλλαχοῦ δὲ διπήχεις ὄφεις ὑμενοπτέρους, ὡσπερ αἱ νυκτερίδες· καὶ τούτους δὲ νύκτωρ πέτεσθαι, σταλαγμοὺς ἀφιέντας οὖρων, τοὺς δὲ ἰδρώτων, διασήποντας τὸν χροῶτα τοῦ μὴ φυλαξαμένου.

Ctesias dicit, neminem in India morbo affectum esse et Indos diutissime vivere, quocum consentiunt rerum ab Alexandro gestarum scriptores²²¹⁾.

Deinde fontem²²²⁾ commemorat, cuius aqua loti homines sanentur. Fontes eius modi in India reperiri demonstrat viatoris Sinensis narratio, quam quidem eandem esse atque Ctesiae minime contendere volo. »Sur le bord des rochers, au Nord du ruisseau Chan-ni-lo-che, il y a un sthoupa. Les malades qui y arrivent sont guéris et sont garantis de beaucoup de maladies. Le Jou laï étant autrefois roi des paons, y vint avec sa troupe. Pressés de la chaleur et de la soif, ils cherchaient de l'eau qui ne s'y trouvait pas. Le roi des paons, d'un seul coup de bec, frappe le rocher et en fit jaillir de l'eau qui coula et forma de suite un lac. Ceux qui en boivent sont guéris de leurs maux²²³⁾. «

Memorat capras et oves²²⁴⁾ grandiores quae optimam lanam praebent.

Hoc satis sit ad iudicium nostrum de Ctesiae fide firmandum; et si de

αὕτη δὲ γενομένη ταχέως ἐπέτρεχε τοῖς κυρίοις τόποις τοῦ σώματος, καὶ δεινοῦς θανάτου ἀπειργάζετο. δῶ συνέβαινε τὰ ἴσα τοῖς μεγάλα τραύματα εἰληφόσι καὶ τοῖς μικρὰν καὶ τὴν τυχοῦσαν ἀμυχήν ἀναδεξαμένοις.

220) Megasth. ap. Strab. XV. 703.

221) Nearchus ap. Strabonem XV. 706., Onesicritus ap. Strabonem XV. 701., Plin. H. N. VII. 2. p. 374. Hard., Diod. II. 40.

222) Ind. 30.

223) Cf. Foe Koue Ki. p. 55.

224) Ind. 13. Ctesias ovium et caprarum genus quod nunc in Tibetana terra reperitur intellexisse manifestus est. Conf. de hac re disputantem Cuvier: Ansichten von der Urwelt p. 55. vers. German. Heeren: Conamina ad explicanda nonnulla historiae mercaturae antiquae capita, cuius operis excerptum continetur in Göttinger gelehrte Anzeigen 1834. part. tertia p. 2062. sqq., Moorcroft: travels. I. 346. Quam miram nobis videri possint ea quae de pingui

cauda harum ovium Ctesias refert, de eadem corporis parte horum animalium scriptores Arabici multo magis incredibilia narrant: »Ibi oves sunt, quae sex habent caudas pingues, quarum una in loco solito est, altera in pectore, tertia et quarta in scapulis, quinta et sexta in femoribus«. Gilde meister: de Arabum scriptt. p. 219. Ovium possessio quanti pretii fuerit apud Indos, Ctesias videtur sensisse; nam (Ind. 23.), de Cynocephalis tradit: οὗτος δ' αὐτῶν πλουσιώτατος νομίζεται εἶναι, ἢ ἂν πλείστα πρόβατα ἢ ἡ δὲ ἄλλη οὐσία, παραπλησία. Idem (Ind. 22.): τρέφουσι δὲ (οἱ Κυνοκέφαλοι) καὶ πρόβατα πολλὰ, καὶ αἶγας, καὶ ὄνους. Πίνουσι δὲ γάλα καὶ δξύγαλα τῶν προβάτων. Ab antiquissimis temporibus constitit haec magna existimatio ovium apud Indos; qua de re conferas Bohlenium: das alte Indien. II. 114. Primum in periodo media historiae Indiae vestimenta per orbem notissima e caprarum lana confecta esse scimus: Ritter: Asien. II. 1199.

Ctesiae narrationibus iudicium aliquod facere volumus, ex adhuc disputatis fides scriptoris minime exigua redditur.

Sane narrationum a Ctesia prolatarum quum magna sit copia, tantum abest ut unicuique summo iure sua vindicetur auctoritas. Sed quae narrationum scriptoris, non eadem sit fides scriptoris ipsius necesse est: nec Ctesiam nos recte videmur mendacem appellasse quamquam in nonnullis narrationibus res in maius profert; nam maximam partem reddit ea, quae a suis auctoribus accepit; immo ut in nonnullis narrationibus nostri scriptoris observavimus, narratio eius ipsa interdum non eas, quas sibi Indi finxerunt, monstrosas res aequat.

Sin vero Ctesiam ipsum respeximus, aliud iudicium evenit; nam non narrationes quas audivit solum, sed res fabulosas etiam veras habuit ²²⁵). *Λέγει τὰ ληθέσιαια γράφειν, ἐπάγων ὡς τὰ μὲν αὐτὸς ἰδὼν γράφει, τὰ δὲ παρ' αὐτῶν μαθὼν τῶν εἰδότεων. πολλὰ δὲ τούτων καὶ ἄλλα θυμασιώτερα παραλιπεῖν, διὰ τὸ μὴ δόξαι τοῖς μὴ ταῦτα θεασαμένοις ἄπιστα συγγράφειν.*

Ad eum excusandum modo dicatur, primo: animum Graecorum ad fabulosas res credendas maxime propensum fuisse; deinde commorationem in terra Persarum, populi tam superstitiosi, non accommodatam fuisse ad Ctesiam ab hac indole superstitiosa reducendum.

III. DE ORDINE ET ARGUMENTO CTESIAE INDICON.

Hucusque probare conati sumus Ctesiam non negligentem vel fallacem et inscium scriptorem esse. Atque effectum esse confidimus in Indicis certe Ctesiam, etsi ipsam Indiam non adierit, usum esse auctoribus fide dignis, vidisse etiam multa longinquae et ignotae terrae monumenta, eaque accurate descripsisse, et si nonnulla tradiderit, quae fidem excedere videantur, ea non ab eo inventa sed e populari Indorum et Persarum fama et rumoribus derivata esse neque minus aestimanda quam quae satis mira de aliis populis protulerit Herodotus. Restat ut quale fuerit totius libri consilium, e quibus partibus constiterit, et quomodo singulae narrationes dispositae et collocatae fuerint, inquiramus. In quo labore uno Photio uti nobis licet, quippe qui solus ordinem quem Ctesias secutus erat adumbraverit; et licet male rem suam gesserit, tamen iucundam et optimam Ctesiae dispositionem restituere non desperamus. Sane excerptum Photii ostendit summam inopiam et elegantiae et iudicii. Quum enim Ctesiae operis paragraphos 1—6. ad similitudinem indicis verteret ²²⁶) et iustitiam

225) Ctes. Ind. 33.

226) In primis narrationibus quantum omiserit Photius ostendunt quae Aelianus H. An.

XVII. 29., et Aristoteles. De generat. Animal. II. 2., Histor. animal. III. fin. p. 128. Schneid. e Ctesia de elephantis referunt.

Indorum, res summi momenti, de quibus, in paragr. decima quarta Ctesiam large locutum esse fatetur, paucis tantum verbis tractaret; mirabiles illas res, de quibus inde a capite 17. usque ad libri finem dixit, tractavit copiosissime. Iucundam deinde Ctesiae orationem, in qua laudanda consentiunt veteres scriptores, vertit in miseram garrulitatem. Accuratissimas quasque narrationis partes fere ubique praetermisit, v. c. terrarum et populorum nomina: quare narrationes per sese levissimas etiam leviores reddidit. Maxime vero Ctesiae opus debilitavit Photius eo, quod librum, cuius in alia parte aliud inerat argumentum, tanquam seriem narrationum sine ullo tenore prolatarum excerpsit. Quam rem nunc conamur demonstrare.

Statim ab initio in epitome Photii summa perturbatio inest. Mira enim confusione simul narratur:

1. de latitudine Indi,
2. de multitudine Indorum,
3. de vermi, qui solus omnium animalium in Iudo fluvio reperiatur,
4. de regionibus trans Indum sitis ab hominibus desertis,
5. de siccitate Indiae,
6. de Pantarbe lapide,
7. de elephantis murifragis,
8. de gallis maximis,
9. de simiis minimis habentibus caudas quinque cubitorum,
10. de psittacis,
11. de fonte auro ferroque impleto,
12. de gladiis ex hoc ferro confectis, qui fulmen et nebulas removeant,
13. de canibus Indicis,
14. de montibus gemmiferis,
15. de magnitudine solis et de maris ardore,
16. de cursu Indi fluvii.

Subsistamus hic paullum et videamus utrum hic complexus inde ab paragrafo 1. usque ad 6. sit probandus an mutandus. Primo intuitu quisque perspicit ingentem perturbationem narrationum, qualem unus scriptor nullo modo facere potuerit, qualem ne temporibus polyhistorum quidem, ne dicam apud auctorem Herodoti aetati proximum exspectare potes. Itaque inquirendus est cardo harum narrationum; quem intelligimus a Photio omnino neglectum et remotum esse propter confusam et negligentem eius rationem scribendi, etsi interdum vincula orationis quasi perlucent. Narrationum autem summam et argumentum invenisse mihi videor in Indi fluvii descriptione a qua Ctesias incipit, ad quam, diversis rebus tractatis, revertitur paragrafo sexta. Neque quidquam superest, nisi eorum quae media posita sunt, nexum ordinemque investigare et tamquam vestis discerptae pannos, quemadmodum sese excipere debeant, disponere.

Ab initio Ctesias latitudinem Indi fluvii refert; paulo post de vermi quodam, qui solus animalium in eo reperiatur, narrat, et verbis ἐν τῷ ποταμῷ manifeste ad initium respicit; sed, ut omne dubium dissolvatur, Aelianus²²⁷⁾ loco de hac re nobis servato ita narrationem incipit, ut reliquam partem ab Indi descriptione pendere cique insertam fuisse nemo non videat: ὁ ποταμὸς ὁ Ἰνδὸς ἄθρηρός ἐστι μόνος δὲ ἐν αὐτῷ τίκεται σκόληξ, quibus verbis aperte ostenditur, Indum anteponendum esse vermis commemorationi. Quae sequuntur: μόνος δὲ ἐν αὐτῷ τίκεται σκόληξ, tantummodo tanquam argumentum vel exempli gratia allata esse videntur: totam enim descriptionem, quae sequitur, ex alia Indicon parte haustam fuisse infra demonstrabimus. Aliquot verbis intermissis Photius dicit: in India non pluere terramque Indo flumine madefieri. Itaque hic quoque Indus prae ceteris eximitur; tantummodo ea, quae apud Photium praeposita sunt, apud Ctesiam in fine collocata fuisse videntur. Nam hoc loco nihil dicitur de climate, de ventis etc. quod fit in parte operis posteriori²²⁸⁾, ubi nova pars operis incipit.

Subito deinde scriptor transit ad Pantarben lapidem aliasque res enarrandas; neque quisquam, qui haec legerit intelliget, qua ratione de Indo, de Pantarbe lapide²²⁹⁾, de elephantis, de simiis²³⁰⁾ etc. uno tenore narrari possit. Lucem affert Photius, adiciens, Pantarben gemmas in flumen proiectas collegisse; quae igitur narratiuncula Indi fluminis causa prolata esse videtur. His multo etiam gravius argumentum praebet Codex Monacensis²³¹⁾, qui saepissime ceteris praefendus videtur. In eo enim legitur: ἐν τῷ Ἰνδικῷ ποταμῷ εὐρίσκειται λίθος παντάρβης: unde facile intelligitur Pantarben lapidem, non minus quam vermem atque inopiam pluviae pertinere ad descriptionem Indi fluminis.

Iam duas commemorationes brevissimas quidem praetermisimus, quippe quibus non Indi ipsius mentio fiat. Postquam latitudinem Indi descripsit, dicit Indos paene plures esse quam ceteros homines omnes²³²⁾; deinde rursus ad Indum describendum vel ad res, quae huc spectant, enarrandas transit. Sed etiam haec intermissa narratiuncula ad Indum spectat, quod ipse Ctesias ostendit nomine Indi fluvii non repetito, quod post rei prorsus alienae narrationem facere debebat, sed pergens verbo ὁ ποταμός, ex quo Ctesiam intelligitur cogitasse lectoris mentem adhuc ad Indum intentam esse. Profecto facile caussa invenitur, cur descriptionem Indi atque earum rerum, quae ad Indum spectant, brevi mentione Indorum ipsorum interruperit. Indi enim ab Indo flumine nomen acceperunt, sicuti a flumine Sind'u (sc. Indo), Saïnd'avâs, quorum nomen in-

227) Ael. H. An. V. 3.

228) Ctes. Ind. 8.

229) Ind. 2.

230) Ind. 3.

231) Cod. Monac. ap. Baehr p. 266.

232) Ctes. Ind. 1.

colis totius Indiae est redditum²³³), cuius quidem rei memorandae optimus certe locus fuit in initio. Genuinum autem colorem et nexum Photius delevit. Alteram rem illa etiam leviolem invenimus insertam post verm̄is mentionem: *περὶ τοῦ μὴ οἰκεῖν ἐπέκεινα αὐτῶν ἀνθρώπους*²³⁴). Quorum verborum brevit̄as et inopia aliorum locorum quibuscum comparari possint, nos impedit quominus certo de iis iudicare possimus. Fortasse vinculum sententiarum invenitur in narratione, Indum animalibus carere, quacum facillime coniungi poterat hoc, trans Indum non esse homines: cui quidem coniecturae propter lubricum hoc inquirendi genus, nimium esset multum tribuere. Consilio nostro satis est, ostendisse et paullo ante et paullo post vinculum narrationum in mentione Indi fluvii inveniri, ad quem semper respicere lectorem scriptor confidat. Nexus igitur paragraphi primae et secundae est hic: Indi fluminis latitudo est stadiorum quadraginta vel ducentorum; ab eo Indorum nomen deducendum. Est ἄθρηρος ita ut solus verm̄is in eo vivat; trans Indiam ad Indum sitam terra est deserta. Simplicem hunc ordinem Photius, omnibus narrationis filis reiectis delevit, et miserrime omnes singulas res confudit.

Ab hoc inde loco usque ad paragraphum sextam ubi Indi rursus mentio fit, filum quasi abruptum esse patet. Nam verba *ἐκεῖσε, κἀκεῖ*, quibus ordiuntur hae narrationes in contextu Codicis Monacensis²³⁵), usurpari solent tam vaga ratione ut nobis nihil subsidii praebeant. Tamen argumenta adiuvantia non desunt, quae nexum harum narrationum cum Indo flumine satis clara in luce collocent. Etenim (*graece loquentem*²³⁶) — — psittacum et elephantos²³⁷) vidit; utrumque igitur animal, donatum a rege Indorum et ab Indo advectum fuisse consentaneum est²³⁸): elephantos quidem, quos Ctesias vidit ex regionibus ad Indum sitis venisse, ex testimonio Arriani²³⁹) perspicimus, de elephantis qui in pugna apud Arbela interfuerint. Quae eadem res apparet ex eorundem exiguo numero. Nam terras ad Indum flumen paucos exhibuisse elephantos Alexandri expeditio demonstrat; Prasiolorum regnum solum iis abundabat: quae res Alexandri milites ita terruit ut redire eum cogerent²⁴⁰). Si igitur Alexandri tempore elephant̄i, qui apud Persas erant, e terris Indum adiacentibus advecti fuerant, certe rationem maxime firmam habemus, cur elephantos quos Ctesias vidit, ex eadem Indiae parte apud Persas adductos fuisse censeamus.

233) Cf. Lassen. pentapot. 7.

234) Ctes. Ind. I. 1.

235) Conf. Baehrii annotatt. p. 268—275.

236) Ind. 3. Cf. quod supra (n. 58.) dictum.

237) Cf. Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. XVII. 29.

238) Persas solum cum accolis Indi fluvii

amicitiam et foedera iunxisse demonstravit Schlegelius. Ind. Bibl. 1. 156.

239) Arrian Exped. Alex. III. cap. VIII., *Ἐλέφαντες δὲ οὐ πολλοὶ, ἀλλὰ ἐς πεντεκαίδεκα μάλιστα, Ἰνδοῖς τοῖς ἐπὶ τὰδε Ἰνδοῦ ἦσαν.*

240) Arrian Exp. Al. V. 25., Curt. IX. 2. Diod. XVII. 93., Plut. V. Al. 62.

Quod ad aurum pertinet²⁴¹⁾ consentiunt et veteres et recentiores scriptores de Indicarum aurifodinarum situ. Primum enim circa Indi fluvii fontes, gentem Hâtacam esse Indicae litterae docent²⁴²⁾. Deinde in Daradarum terra, ad Indum fluvium sita, formicae aurum effodientes inveniuntur²⁴³⁾; cui fabulae convenit quod Indiae cognitio, qualis nunc quidem est, solum fere apud Indi fontes aurum reperiri docet²⁴⁴⁾. Accedit, quod Herodotus iis, quae de tributis dixit²⁴⁵⁾, quae cum Ctesiae narratione de fonte auro repleto arctissime coniungi supra verisimillimum fecimus²⁴⁶⁾, Indos tributum pensitantes accolae Indi fluvii fuisse satis indicat²⁴⁷⁾ Deinde de ferro loquitur Ctesias²⁴⁸⁾, ex quo gladii conficiantur. Quem locum si primum inspexeris, quomodo ferrum gladiique ad Indum spectent non omnino patet: nam etsi ferrum eximium in regione Casmyrensi est²⁴⁹⁾, tamen et in multis aliis Indiae partibus idem reperitur²⁵⁰⁾. At hoc loco aliud subvenit argumentum: nam Ctesias confitetur se duos gladios ex hoc ferro confectos ipsum habuisse, alterum a rege, alterum ab eius matre Parysatide donatum. Sunt igitur gladii aut a rege Indorum donati, aut ex ea Indiae parte allati, quae cum Persae commercium habebant; unde patet eam narrationem ab Indo fluvio describendo minime esse alienam. Sed duplex interposita est commemoratio, gallorum maximorum et simiarum parvarum²⁵¹⁾. Illud autem gallorum genus Indicum ubicunque in India reperitur, ita ut nihil obstat, quominus ad Indi descriptionem pertineant; quod autem simias attinet, Alexandri expeditio ostendit, terram ad Indum sitam simiis abundasse, quum aliquando magnam simiarum vim Macedones exercitum esse opinati sint²⁵²⁾. Accedit quod Arrianus²⁵³⁾, in Pentapotamia esse dicit populum Cambistholorum, quod nomen Schwanbeckius²⁵⁴⁾ voce Capist'ala, i. e. simiarum sedem, interpretatus est. Deinde, quum hanc partem videamus interpositam esse inter alias duas narrationes, quae ab Indi descriptione separari non possunt, constat, etiam illas a re principali non abhorrere.

Denique scriptor loquitur de canibus maximis et de excelsis montibus e qui-

241) Ind. 4.

242) Voce Hâtaka, aurum in Indica lingua significatur. Est autem terra ubi haec gens reperiatur, *regio aurifera*. Lassen in Zeitschrift f. d. Kde. d. Mgl. II. 62.

243) Strab. XV. 706, 718., Arr. Ind. XV. 5 — 6., Exp. Al. V. 4. 7., Aelian. H. An. III. 4., XVI. 15. Bestiam primus Moorcroft. (Asiatic Researches XII. 439) circa Indi fontes invenit, formicis quas veteres memoraverant simillimam, quam eandem atque illam esse unam atque eandem esse Ritterus (Asien II. 659., cf. 508., 593.) probavit.

244) Lassen: Ind. Alterthümer. 238.

245) Her. III. 96.

246) Cf. supra. n. 210.

247) Her. III. 102.

248) Ctes. Ind. 4.

249) Lassen: Ind. Alterthümer 238.

250) Lassen. I. 1.

251) Ctes. Ind. 3.

252) Ael. H. An. XVII. 25., Strab. XV. 699.

253) Arr. Ind. C. IV. 8.

254) Comment. de Megasth. p. 33. Not.

bus Sardus lapis, alique lapides pretiosi effodiantur²⁵⁵); quae omnia ad Indum flumen pertinere apertum est. In terra enim Sopithis (Açvapati) circa fontes fluvii Çatadru²⁵⁶), omnino in Pentapotamia, Alexander canes illos ingentes reperit. Deinde Satrapae Persici, ut refert Herodotus²⁵⁷) canes Indicos ingentes dono acceperant ab iis quidem, qui erant Persis confoederati aut subditi quos Indi fluvii accolae fuisse jam diximus. Postremo etiam hodie in Pentapotamia canum genus ingens inveniri constat²⁵⁸). Quae argumenta sufficiunt ut eum locum, quo canes Ctesias descripsit, ad Indi descriptionem referamus.

Tunc, excelsis montibus memoratis, nexus narrationis rumpitur; nam quae de solis amplitudine et de maris fervore afferuntur²⁵⁹), non nisi tanquam episodum quod dicitur intelligi possunt. Haec enim reliquo rerum tenori interiecta et sola amplitudinis notione et cum narrationibus praecedentibus et inter sese connexa sunt. Itaque, quum h. l. iterum atque iterum res magnae enumerantur, Ctesias videtur id sibi proposuisse, ut ea quae paullo antea de canibus montibusque, rebus ingentibus, narraverat, amplius explicaret et illustraret²⁶⁰). Hoc loco quomodo Photius excerpserit optime conspici potest. Brevissime et summatim tantum priora tangit, quae a Ctesia multo largius tractata esse videntur, id quod docent fragmenta de elephantis²⁶¹), contra huic narrationi interiectae, quum tamen omnino negligere eam liceret, ut opus erat in epitome, spatium multo amplius tribuit.

In paragrapho sexta demum filum fit conspicuum, quod si deesset, forent ea quae exposuimus verisimilia tantum, non certa. Breviter memorantur planities Indo flumine irrigatae, de quibus antea quoque ex verbis: *ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ ποτίζεται ἡ Ἰνδική*²⁶²), dictum esse videtur; tunc narratur de montibus quorum a memorazione ad digressionem illam scriptor transierat, et de arundine Indica quae in iis invenitur. Hic apertissimum auctoris consilium fit, non nisi de Indo et de rebus ad eum pertinentibus scribendi. Indum enim in initio posuit scriptor neque dixit, apud Indum esse planities montesque, sed Indum perfluere regiones planas et montanas, quibus ex verbis satis perspicimus, Indi descriptionem esse capitis summam. Sequitur commemoratio animalis, quae primo intuitu a descriptione Indi fluvii aliena esse videtur; nam neque Indus fluvius postea memoratur, neque ab ullo scriptore bestiam illam ad Indum pertinere traditur. Sed diiudicanti alia ex parte variae causae succurrunt. In textu corrupto nonnulla exstant vestigia nexus genuini; offendit enim Baehrii scriptura

255) Ind. 5.

256) Lassen: Indische Alterthümer. pag. 300. Not. 1.

257) Her. I. 192.

258) Cf. Vigne: Travels II. 411.

259) Ind. 5.

260) Huic sententiae firmandae inservit, quod montes capite sexto rursus memorantur.

261) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. XVII. 29. Aristot. de gen. An. II. 2.

262) Ctes. Ind. 1.

καὶ et Monacensis codicis γάρ²⁶³), quae hoc loco supervacanea est. Deinde in Baehrii editione, ἐν ἀντοῖς legitur; quae verba, respectis fragmentis, vocibus ἐν Ἰνδοῖς explicari quidem possunt, aptius tamen ad verba quae antecedunt ὀρέων, ἐν ἀντοῖς, scil. ἐν οἷς, referuntur. Quod enim apud alios scriptores qui e Ctesiae libris hauserunt, ἐν Ἰνδοῖς²⁶⁴) legitur, inde est explicandum, quod hac sola narratione electa, pro verbis in Ctesiae libro interiectis, vocem, ut ita dicam, generalem Indiae posuerint. Luculentissimum autem argumentum est, quod inter dona²⁶⁵) Martichoras numeratur; ex quo intelligitur hanc bestiam e terris ad Indum situs venisse.

Postquam de Indo dixit, et de iis rebus quae ad Indum pertinent, narrat haecce: περὶ τῶν Ἰνδῶν ὅτι δικαιοτάτοι καὶ περὶ τῶν ἐθνῶν καὶ νομίμων αὐτῶν²⁶⁶). Quae ad Indi descriptionem non pertinere, ex ipsa re apparet. Et ut ubique ex initio cuiusvis capitis videre licet, quam rem sibi proposuerit auctor, ita ex ipsis verbis potest perspicui, Ctesiam de iustitia, moribus legibusque Indorum hoc loco agere. Quae tamen coniectura negligenter inspicienti ea, quae sequuntur, non satis probata esse videatur. Deinceps Ctesias describit locum quendam sacrum, et qualis ibi, qualis in India temperies sit: immo etiam Aetnam memorat, Zacynthum, Naxum, Phaselidem, deinde verbosius Pygmaeorum res enarrat, de auro et argento, et ovibus et capris aliisque rebus Indicis quaedam tradit, et fontem quendam mirificum describit. Quae res tam diversae vix ad eandem materiam possunt referri. Attamen sicut in diversis partibus primi Indicon capitis, quo ubique potest videri, omnes res singulas commemoratas ad Indum describendum pertinere, ita in hac parte iustitiam moresque Indorum enarrari, ubique satis perspicitur.

Nam postquam dixit: περὶ τῶν Ἰνδῶν ὅτι δικαιοτάτοι καὶ περὶ τῶν ἐθνῶν καὶ νομίμων αὐτῶν, narrat haecce: περὶ τοῦ ἱεροῦ χωρίου τοῦ ἐν τῇ ἀοικίῳ, ὃ ἐπ' ὀνόματι τιμῶσιν ἡλίου καὶ σελήνης ἐν ᾧ διὰ δεκαπέντε ἡμερῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους τῆς Σαρδοῖς τις παραγίνεται καὶ ὅτι λέ' ἡμέρας ὁ ἥλιος ψύχει ἐκεῖσε τοῦ ἐνιαυτοῦ, διὰ τὴν ἐορτὴν, ἵνα μὴ ἀφλεκτοὶ αὐτὴν τελέσωσι, καὶ ὑποστρέψωσιν. Locus autem sacer quomodo possit una cum iustitia Indorum memorari, facillime intelligitur, immo etiam ex universa narrationis ratione et fine patet, Ctesiam non ipsum locum voluisse describere, sed peregrinationes in illum fieri solitas. Itaque non solum hoc refert, quantum sit iter ad illum locum a monte Sardus, sed etiam quaedam de solemnibus quibusdam ibi celebratis, et de tempestate, quae tempore peregrinationum ibi esse soleat. Sed quum dicendum esset h. l. Ctesiae, quanto diversum sit coelum loci illius et Indiae universae, addidit quaedam de Indiae tempestate et de re quadam, quae cum tempestate

263) Cod. Monac. ap. Baehr. pag. 280.

264) Ael. H. An. IV. 21., Aristoteles: Histor. an. II. 1. 3. §. 10. Schneider., Pausanias:

Boeot. (IX.) 21. §. 4. p. 757.

265) Ael. H. An. I. I.

266) Ctes. Ind. 8.

cohaerere videtur, de colore Indorum. Quae pars, quippe quae intexta narratione sit, fere tota apud Photium superesse videtur. Ad eundem locum sacrum describendum pertinere ea, quae sequuntur, ipse dixit Photius his verbis: *ὅτι πιστῶσαι τὰ περὶ τοῦ ἡλίου βουλόμενος, ὡς ἐν λέ ἡμέραις ἐν Ἰνδία ψύχει, λέγει ὅτι καὶ τὸ πῦρ ἐκ τῆς Αἴτνης ἕρον τὸν μέσον χῶρον, ἅτε δικαίων ἀνδρῶν ὄντα, οὐ φθείρει, φθείρον τὰ ἄλλα. καὶ ἐν Ζακύνθῳ κρηνίδας κ. τ. λ.* Ita omnia quae leguntur inde a verbis *περὶ τοῦ ἱεροῦ χωρίου §. 8.*, usque ad §. 11.: *ὅτι ἐν μέσῃ τῇ Ἰνδικῇ κ. τ. λ.*, ad describendum sacrum locum pertinent, cuius descriptionem cum iustitia Indorum tractanda cohaerere constat.

Deinde, quae sequitur, narrationem de Pygmaeis perhibitam, si priora perlegeris, cum prioribus minime coniungendam esse arbitraberis. In qua tamen duae exstant res, quibus hanc narrationem cum toto argumento arctissime cohaerere demonstratur. Nam verba in initio collocata: *ὅτι ἐν μέσῃ τῇ Ἰνδικῇ ἀνδρωποὶ εἰσι μέλανες κ. τ. λ.*,²⁶⁷⁾ aperte respiciunt ad ea quae paulo ante leguntur, §. 10: *τὸ πῦρ ἐκ τῆς Αἴτνης ἕρον τὸν μέσον χῶρον, ἅτε δικαίων ἀνδρῶν ὄντα, οὐ φθείρει, φθείρον τὰ ἄλλα*, et ne quid desit coniecturae nostrae, eadem res iterum legitur, ac totius capitis est summa: *δικαιοτάτοι δὲ εἰσὶ, καὶ νόμοις χρῶνται, ὡσπερ καὶ οἱ Ἰνδοί.* Ita minime est dubium, quin usque ad hunc locum omnia ad eam partem referenda sint, qua de moribus et de iustitia Indorum agitur. Deinde rationem exponit qua Indi feras persequantur: hanc narrationem a moribus Indorum abhorrere, nemo est qui contendat. Porro commemoratur fons oleo repletus, qui, leviter inspecto Photii excerpto, in terra Pygmaeorum esse videtur; sed comparatis fragmentis in Steph. Byzantino²⁶⁸⁾, apud Dyrbaeos intra Bactrianos et Indos quaerendus est: hic quoque iterum filum narrationis elucet. In fragmento Steph. Byzantini s. v. *Δυρβαῖοι*, dicuntur Dyrbaei esse iustissimi, qui nec iniuriam nec mortem homini inferant, neque aurum vel aliud quidquam quod forte inveniant, arripiant. Itaque hic fons oleum proferens modo commemoratur, quod signum iustitiae eorum aestimandum est, ut comparatio cum historiis antea enarratis plane demonstrat. Nam ut §. 10. in Aetnae regione, utpote quae a iustis hominibus incolatur, flamma homines in medium partis tractum non labefactat, ut in Zacyntho fontes sunt e quibus pix educitur, ut in Naxo fons est ex quo vinum idque suavissimum nonnumquam profluit, ut Phasidis fluvii aqua in suavissimum vinum commutatur; sic in Dyrbaeis, quippe qui iustissimi viri sint, exstat fons olei. Postea dicit in eadem paragrapho; *Χρῶνται δὲ καὶ σησάμῳ. — καὶ τῷ καρύνῳ χρῶνται*: quod ad Indorum consuetudinem adhibendi has fruges, referre haud dubito. Longe autem ab ea re, quae hoc toto capite agitur, discrepare videntur ea, quae inde a §. 11. (sub fine), ex verbis: *ἔστι δὲ αὐτόθι ἄργυρος πολὺς κ. τ. λ.* usque ad § 14: *Πολλὰ δὲ λέγει περὶ τῆς δικαιοσύνης κ. τ. λ.*, sequuntur. Memorantur deinceps;

267) Ctes. Ind. 11.

268) Steph. Byz. s. vocc. *Τῶς* et *Δυρβαῖοι*.

1. Argenti fodinae,
2. Montes magnae altitudinis, quae aurum continent, quod a gryphibus custoditur,
3. Oves capraeque.
4. Sues in India inveniri negat.
5. Excelsarum palmarum et
6. Fluminis cuiusdam melle fluentis mentionem facit.

Iam quum Ctesiam in Indicis hactenus certo semper consilio res tractatas disposuisse ostenderimus, nunc eum ad aliam operis sui partem transiisse unusquisque conicere posset, nisi vox *δικαιοσύνη*, quae occurrit in paragrapho 14, nobis indicaret, eam partem, quae incipiens a §. 8, de iustitia moribusque Indorum tractat, nondum fuisse confectam. Ex narratione enim de gryphibus, quae apud Photium ²⁶⁹⁾ occurrit, absurdum primo adspectu videri possit, aliquid ad eam partem referre, qua Ctesias de iustitia moribusque Indorum disseruit. Tamen huc eam pertinere, quum ex interrupta ratione qua Photius illam profert, suspicari licet, tum ex uberiore eiusdem rei relatione Aeliani ²⁷⁰⁾ ex Ctesia sumpta patet. Quum enim Photius ex Ctesiae verbis gryphum descriptionem sumere satis habeat, Aelianus fabellam quandam de iisdem traditam et ad naturalem historiam pertinentem refellere studens, ea potissimum respicit, quae de Indorum moribus ibi produntur. Cui igitur maiorem fidem habeamus? Num ei, qui sibi proposuerit, mirificas relationes excerptare, an ei, qui quamquam prae ceteris illud iudicium ad historiam naturalem pertinens animum eius occupaverit, tamen narrationem de Indorum moribus minime negligendam sibi esse duxerit?

Quodsi igitur in iudicanda illa narratione Aelianum sequimur, dubium esse non potest, quin ad eam operis Ctesiae partem pertineat, qua Indorum *ρόμματα* tractavit. Voluit igitur Ctesias rationem et modum narrare, quo Indi aurum quaerere solerent, simulque Bactricam fabellam reprobare, quae gryphes aurum effodere, custodire nidosque suos ex eo construere, reliquam vero auri copiam ab Indis auferri traderet.

Huic fabellae Ctesias Indorum testimonium opponit, gryphes auro non indigere, sed pullis suis metuentes, Indos aurum quaerentes aggredi, quare Indi catervatim per noctem, luna deficiente, ad hoc negotium exeant. Gryphes si effugerint, auro a peritis purgato, large iis opera compensatur; raro autem ante tres quatuorve annos redeunt.

Ex hac narratione elucet, Ctesiam id praecipue egisse ut Indorum rationem auri quaerendi describeret, eique refutationem solam fabulae Bactricae praebuisse causam, cur gryphum meminisset, quas bestias Graecis ignotas fabulosasque ut paullo accuratius describeret, ipsa rei natura adductus est.

269) Ctes. Ind. 12.

| 270) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. IV. 27.

Eadem est ratio proximae narrationis de ovibus²⁷¹), in qua Photius iam unius consuetudinis Indorum rationem habet, Aelianus²⁷²) autem, qui ex Ctesia eandem hausit narrationem, (id enim ex maxima utriusque scriptoris narrationis similitudine apparet), duas affert. Photius Indos ovibus feminis eo fine nimis longas caudas amputare tradit, ut mares salire eas possent. Aelianus, eadem Indorum pastorum consuetudine ex Ctesia repetita, haec ex eodem Ctesia adiicit: „Indi pastores ex ovium adipe oleum conficere solent: ovibus maribus caudas demetunt, deinde adipe exempta eas ita consuunt, ut vulnus cognosci non possit“. Manifestus est hac etiam in narratione Ctesias Indicorum pastorum *νόμια* praecipue respexisse, et ita oblata occasione fecunditatem ovium Indicarum praetermitti non potuisse.

Proxima ab ea quam modo tractavimus narratio nobis sine dubio huc referenda videtur. Ridiculum quidem videri possit ex verbis Ctesiae apud Photium hisce: ὅς δὲ οὐτε ἡμερος οὐτε ἄγιος ἐστὶν ἐν τῇ Ἰνδικῇ, aliquid ad Indorum mores consuetudinemque vitae trahere ex Ctesia velle, nec cui ita videatur eum melius edocere potest eiusdem rei commemoratio apud Aelianum²⁷³) et Aristotelem²⁷⁴), qui eadem verba usurpantes nihil aliud quam Photius dicunt. At comparatio cum Aeliano²⁷⁵), prorsus contrariam sententiam probabit; nam loco laudato Aelianus iisdem verbis quae iam apud Photium invenimus, utitur. Ex proxime autem sequentibus Aeliani verbis sequitur, Ctesiam non tam explicationem rei ad historiam naturalem spectantis in animo habuisse, sed id imprimis egisse ut mite ingenium Indorum extolleret, qui suillam tanquam humanam carnem abhorrerent; quam explicationem magis id commendat, quod Aelianus hanc narrationem non ex alio auctore quam Ctesia haurire potuit, quum Aristoteles²⁷⁶) Ctesiam diserte eiusdem auctorem nominet, quumque ceteri Graeci scriptores, qui et ipsi rerum Indicarum, visu vel auditu, memoriam prodiderant de hac re nihil dixerint.

Ex totis Photii excerptis efficere possumus, Ctesiam ubi de Indorum iustitia loquitur, non modo hanc virtutem ipsam exemplis allatis descripsisse, sed etiam iustissimo illi omnium populo propter eam virtutem, omnium bonorum abundantiam a Diis tributam esse demonstravisse. In hoc numero sunt ea, quae §. 8. de sacro loco dicuntur, si compares cum §. 10 ubi refrigerationis temperiei causa in iustitia posita esse dicitur; de lacu olei in terra Dyrbaeorum²⁷⁷) iustitia clarorum et ob narrationis similitudinem, quod in paragrapho decima tertia, de flumine mellifluente. Porro in eadem paragrapho magnitudo ovium et

271) Ctes. Ind. 13.

272) Fragm. Ctes. ap. Ael. H. An. IV. 23.

273) Ael. H. An. III. 3.

274) H. An. VIII. 28. (27. §. 3.).

275) Ael. H. An. XVI. 37.

276) Aristot. I. I.

277) Steph. Byzant. s. vocc. Δυρβαῖοι et Τέως., Cf. Ctes. Ind. 11.

caprarum; ibidem palmae, quae ad triplicem Babyloniarum altitudinem producuntur; sic in iis reperitur magna copia auri et argenti ²⁷⁸).

Harum omnium narrationum communis est affluentia maiorque copia rerum, quas terra gignit, quae Indis, ut in nonnullis narrationibus aperte pronunciat, ob maiorem iustitiam a diis faventibus tributa est.

Nunc demum in paragrapho quarta decima Photius ad huius partis caput redit. Postquam enim in paragrapho octava Indos iustitia excellere dixit, ad quam iustitiam magnam narrationum insequentium partem referendam esse demonstravimus, nunc de illa iustitia ipsa agitur. Et certe hoc loco singula enumeravit Ctesias, in quibus iustitia illa conspicua esset, cuius rei argumentum exstat narratio, quae statim sequitur. Sed profecto, hac una excepta, reliquas Photius omisit omnes.

Statim enim fabella occurrit de fonte quodam, cuius aqua adhibita reperiri possit culpa reorum. Quae fabella quomodo cohaereat cum iis, quae de iustitia Indorum Ctesias dixit, nemo est, quin videat: nemo enim, qui istam perlegerit narrationem, diffitebitur, Ctesiam non fontem ipsum, sed iustitiam Indorum describere voluisse.

Quum autem ea quae sequuntur, §. 15 seqq. non modo non iustitiam Indorum attingant sed etiam multa in eis inveniantur vestigia, quae aliam rem tractari docent, statuendum est alterum Indicon caput a §. 8. ineipi et usque ad §. 14. porrigi. Quo capite Photium videmus quam negligentissime excerptisse; nam quum gravissima esset pars Indicon ea, quae de moribus Indorum agebatur, nihil fere exscripsit ille, nisi res fabulosas, de reliqua parte hoc solum locutus: *πολλὰ δὲ λέγει περὶ τῆς δικαιοσύνης αὐτῶν καὶ τῆς περὶ τὸν σφῶν βασιλέα εὐνοίας, καὶ τῆς τοῦ θανάτου καταφρονήσεως* ²⁷⁹).

In utroque capite, quod adhuc tractavimus, quae summa sit narrationis et argumentum, ex initio intelleximus: eodem igitur modo perquiramus subsequencia. Initio igitur leguntur haec verba: *Ὅτι φησὶν ὡς Ἰνδῶν οὐδεὶς κεφαλαλεῖ, οὐδὲ ὀφθαλμιᾶ, οὐδὲ ὀδονταλεῖ, οὐδ' ἐλκοῦται τὸ στόμα, οὐδὲ σηπεδόνα οὐδεμίαν ἴσχει. ἡ δὲ ζωὴ αὐτῶν ρ' (ἐκατὸν καὶ εἴκοσι), καὶ λ' (ἐκατὸν καὶ τριήκοντα), καὶ ν' (ἐκατὸν καὶ πενήκοντα), καὶ σ' (διακοσίων)* ²⁸⁰).

De morbis igitur Indorum agitur. Non autem, sicut videre licet ex iis quae sequuntur, de morbis solis, sed de rebus omnibus quae ad morbos atque ad valetudinem attinent, praecipue de remediis et venenis. Patet per se huic argumento capitis optime convenire ea, quae §. 15. de longa Indorum vita traduntur. Deinde describitur serpens quidam ²⁸¹), et facile mireris, quomodo coniungendus sit serpens cum longaevitae Indorum. Neque tamen ideo illum memoravit, ut eum ipsum describeret: paucis enim verbis mentionem auctor fecit

278) Ind. 11—12.

279) Ctes. Ind. 14.

280) Ctes. Ind. 15.

281) Ctes. Ind. 16.

speciei et coloris animalis, sed ut commemoraret venenum ex illo paratum: itaque non modo de serpentis venatu dixit uberius, sed etiam, quomodo pararetur venenum, quid efficeret, copiosius exposuit.

Simili modo in descriptione avis cuiusdam, quam dicaeum appellavit, versatus est. Avi enim ipsa quam brevissime descripta, multa tradit de excrementis venenatis et de eo modo, quo qui minimam eorum partem biberit, moriatur²⁸²).

Similiter, quod postea describitur lignum²⁸³), minime propter lignum descriptum est, sed ut exponatur, quid ligno efficiatur, et, sicut ex ultima parte narrationis vulgo possit intelligi quem ad finem rem ipsam tractaverit, summa narratiunculae in fine reperitur: *δίδοται δὲ κοιλιακοῖς βοήθημα*. In confusa Photii epitome sequitur fluvii cuiusdam Hyparchi²⁸⁴) mentio qui memoratur, quoniam secum fert electrum: quam ob rem etiam arbor, quam electrum gignere Ctesias refert uberius describitur. Post Hyparchum fluvium commemoratum, de Cynocephalorum gente Photius loquitur²⁸⁵); quae, quam rationem ad valetudinem Indorum, venena et remedia habeat, difficile est inventu; neque ulla in hac parte, veneni aut remedii fit mentio. Itaque utriusque materiae consociatio in eo inveniri videtur, quod Cynocephali dicuntur habitare iisdem in montibus quos Hypoboras vel Hyparchus perfluit²⁸⁶): ita ut tota de fabulosa gente narratio quasi episodium, quod dicitur, intertextata sit. Quae coniectura eo probatur, quod confestim scriptor ad eundem fluvium commemorandam redit, et narrat haecce: *παρὰ δὲ τὰς πηγὰς τούτου τοῦ ποταμοῦ ἐστὶ πεφυκὸς ἄνθος πορφυροῦν*²⁸⁷): deinde purpuram non modo ex his floribus sed etiam ex animalibus quibusdam parari tradit. Quomodo autem ea quae sequitur²⁸⁸) narratiuncula cum illa cohaereat, facillimum est perspectu: paucis enim verbis interpositis, Ctesias iam refert, Cynocephalos tributi nomine Indorum regi non modo purpuram, sed etiam electrum et sipachoram fructum afferre. Minus ea, quae addita sunt, materiem capitis attingunt; sed conicere licet, Photium in hac parte vix breviorē esse Ctesia, quum res fabulosas copiose narrare ille consueverit. Sed etiam huic loco finis totius capitis non deest: quippe qui his verbis finiatur: *(ζῶσι γὰρ ἔτη ρ' (ἐκατόν), καὶ ο' (ἑβδομήκοντα), ἔνιοι δὲ αὐτῶν καὶ σ' (διακόσια)* et nuncupantur *μακροβιώτατοι πάντων ἀνθρώπων*²⁸⁹). Alii Cynocephali satis mirae naturae describuntur; itaque eorum res copiose exposuit²⁹⁰). Vix autem apud Ctesiam tantum valuit ipsius gentis descriptio: additum est enim, dulcem radicem apud eos inveniri, quae lac in eorum ventre coagulari non sinat. Quam fabellam toti narrationi Ctesiae respondere, ex ipsa re intelligitur.

282) Ael. H. An. IV. 41. Cf. Ctes. Ind. 16.

283) Ctes. Ind. 18.

284) Ctes. Ind. 19.

285) Ctes. Ind. 20—25.

286) Ctes. Ind. 20.

287) Ctes. Ind. 21.

288) Ctes. Ind. 1. 1.

289) Ctes. Ind. 23.

290) Ctes. Ind. 24.

Cynocephalis commemoratis transit ad describendum animal quoddam, quod asinum Indicum appellat²⁹¹⁾. Quam narrationem Photius quam brevissime reddidit atque ab ipso Ctesia eam paucis absolutam esse, ex fragmento ab Aeliano²⁹²⁾, de hac re tradito conspicuum est, ubi paene iisdem atque Ctesiae verbis paucissimis hoc animal descriptum est: ex quo intelligitur, Ctesiam non hoc sibi proposuisse, ut describeret bestiam ipsam, sed aliam rem, quae ad bestiam pertineret. Reapse aliam quandam rem addidit et Aelianus et Photius, de qua uterque late locutus est, de cornu asini. Ibi iniqua excerpti ratio Photii cognoscitur ex eo, quod priora, quae levissime de animali illo significata erant, eodem modo refert, quo narrationem de cornu perhibitam, quod quidem narrat Ctesias eiusmodi fuisse ut, qui ex eo bibisset, et morbis liberaretur omnibus, neque veneno afficeretur. Quae narratio nexum huius partis nobis ostendit. Deinde describitur eiusdem bestiae venatio; neque sine certa quadam causa quae ad materiem illius capitis Indicon spectat. Nam venatoribus cavendum esse ait Ctesias, ne ab asino morderentur, quod homo ab illo vulneratus sanari vix possit. Denique commemoratur, carnem eorum edi non posse. Cornu est utile; quare statim ab initio eius mentio facta est. Venantur etiam hoc animal propter talum²⁹³⁾; quem quum ipsum quidem descripserit Photius non tamen eiusdem usum exposuit. Adhibitum autem eum ad artem medicam fuisse ex eo intelligitur, quod continuo hoc membrum post cornu commemoratur.

Quam quidem commemorationem statim excipit in paragr. sequenti descriptio vermis cuiusdam. Qua tamen descriptione multo fusius quomodo capiatur vermis et quemnam usum praebat, explicatur. Bestiae enim huius adipe pyrobola conficiuntur; atque descriptionem illam Ctesiae non summum finem fuisse, ex eo quoque cognosci potest, quod huius veneni vim describit quam terribilem. Fit enim hoc igne ut in cinerem mutantur homines atque animalia et urbes ipsae flamma corripantur. Hanc igitur rem sicut ceteras de quibus iam diximus, optime universi capitis argumento convenire apparet.

Quae istam descriptionem sequitur arboris descriptio in paragr. proxima, propterea est inserta, ut addantur quaedam de guttis ex arbore profluentibus. Ita fit, ut accuratissime commemoretur, quomodo guttas Indi, et ad usum accommodent, et conservent: ῥέουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ἐλαίου σταγόνες, οὓς ἐρίῳ ἀναψῶντες ἀπὸ δένδρου, ἀποπιέζουσι εἰς ἀλαβάστρους λίθινους. quali minime opus fuit descriptione, si de sola arbore Ctesias voluisset dicere. Quod quum ita sit, perspicuum est, hanc narratiunculam ab materia tertiae Indicon partis minime abhorrere. Cur in paragr. vicesima nona caseum et vinum memoret, difficilius est explicare. Hoc loco relinquatur in medio, num quasi remedium utrumque adhiberi Ctesias dixerit, an contenderit Indos propter cibos optimos vitam lon-

291) Ctes. Ind. 25—27.
292) Ael. H. An. IV. 52.

293) Ctes. Ind. 26. s. fin.

gissimam agere. Casei et viui mentionem quodam modo pertinere ad eam rem, quae toto hoc capite tractatur, patet etiam ex eo, quod confestim scriptor ad aliam rem transit e qua finis totius capituli optime perspicitur. Fons enim quidam commemoratur²⁹⁴⁾ sed satis breviter, quippe de magnitudine tantummodo sermo est. In hoc fonte nobilissimi Indi lavantur atque est hic fons medicina morborum periculosissimorum: infra deinde dicitur vitiligini et scabiei mederi.

Capite tricesimo primo fabulosae commemorantur gentes quae amplius triginta millia sint. Hoc Photii caput si perlegeris unum tantum esse populum credideris; ex fragmentis comparatis rem aliter se habere patet. Tres gentes commemoratas invenimus, tum fragmentis, tum Photio accurate comparatis. Unam nomine Pandore²⁹⁵⁾, quam Macrobius²⁹⁶⁾ vocat, quorum feminae sint *ἐνο-
νικτοντες*. Postea alterum hominum genus qui octonos digitos habeant; eosque esse separandos a prioribus, Plinii²⁹⁷⁾ locus indicat. Tertiam gentem longas aures habentem quam certe diversam esse ab illis prioribus, vix attinet argumentis demonstrare. Hic quoque commemorationem horum populorum a reliquis non abhorre-
re perspicuum fit ex laudatione longae vitae. Ctesias enim paragrapho decima quinta Indorum partem ad centesimum, centesimum tricesimum, centesimum quinquagesimum, vel ad ducesimum annum pervenire dixerat. Atque hoc loco summum vitae spatium memorat. Gens quae dicitur Pandore ducesimum assequitur annum. Huius igitur populi significatio documento est, inter Indos qui diutissime vivant ipsum esse censendum. Quamobrem eos etiam vocat Macrobius.

Praeterea autem vestigia coniunctionis, quae inter hos populos et generalem operis connexum intercedant, omnia evanescent, et obscurae tantumprehenduntur significationes coniunctionis quod ad ceteros duos populos fabulosos attinet. Dicit Ctesias, homines qui octonos digitos habeant bellicosissimos esse; porro homines auribus sese tegentes et Monocolos, quos Ctesias quidem commemorat, Photius omittit, ut patet ex Plinio²⁹⁸⁾, eos scimus esse veloces adeoque robustos ut arborem divellant²⁹⁹⁾.

Denique in paragr. sequenti fera commemoratur cui nomen est corocottas, sed nexu orationis intermisso ita ut ad summum conicere possimus, hanc narrationem quasi episodiam interiectam fuisse et cum commemoratione populorum illorum ab initio communi nexu coniunctam fuisse, quem tamen Photius delavit. Quae deinde usque ad finem leguntur exempla sunt, quae ad Europaeas terras pertinentia Ctesias attulit ad fidem suam confirmandam.

294) Ctes. Ind. 30.

295) Cf. Ctes. fragm. ap. Plin. VII. 2. 22.
ad. Par.

296) Plin. I. 1.

297) Cf. Ctes. fragm. ap. Plin. VII. 2. 14.
ed. Par.

298) Fragm. Ctes. ap. Plin. H. N. VII. 2.
16. ed. Par.

299) Fragm. Ctes. ap. Plin. I. 1., Lassen
in Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes: II. 62.. Megasth. ap. Strab. XV. 709.

Ita singula quaeque optime quadrant in eandem sententiam, quam supra protulimus, inde a §. 15. usque ad finem idem continuumque argumentum tractari. Non aliud deesse video quam Ctesiae ipsius testimonium, se in hac parte de omnibus illis rebus disserere voluisse quae quamquam nobis diversa esse possunt, ab illo tamen communi *φαρμάκων* nomine sunt comprehensae. Sed satis feliciter obtigit, ut hanc, etiam nostri iudicii confirmationem in Aeliani³⁰⁰⁾ quodam fragmento nanciscamur qui ubi serpentem, paragr. decima sexta, in Photii excerpto memoratam, describit, prooemium praemisit ex Ctesia ipso desumptum, in quo planius etiam pronuntiatur, quomodo et qua cum parte operis connexa sit haec narratio Aeliani. Verbis utitur hisce: *Ἡ τῶν Ἰνδῶν γῆ, φασὶν αὐτὴν οἱ συγγραφεῖς πολυφάρμακόν τε, καὶ τῶν βλαστημάτων τῶνδε δεινῶς πολύγονον εἶναι καὶ τὰ μὲν σώζειν αὐτῶν καὶ ἐκ τῶν κινδύνων ῥύεσθαι τοὺς ὑπὸ τῶν δακετῶν ὁμοῦ τῷ θανάτῳ ἴοντας, πολλὰ δὲ ἐκεῖθι τοιαῦτα τὰ δὲ ἀπολλύναι, καὶ διαφθείρειν ὄξυτάτα, ὧν ἔνπερ καὶ τὸ ἐκ τοῦ ὄφραως γινόμενον εἶη, ἄν. Ἔστι δὲ ἄρα οὗτος ὁ ὄφρις κατὰ σπιθαμὴν τὸ μῆκος ὅσα ἰδεῖν χροῶν δὲ ἔοικε πορφύρα τῇ βαθυτάτῃ λευκὴν δὲ κεφαλὴν. καὶ οὐκ κ. τ. λ.* Neque igitur ab hac parte huic nostrae sententiae ulla obstat dubitatio.

Quamobrem in tres partes Ctesiae opus distribuendum duximus, quarum prima

de Indo et de rebus ad Indum pertinentibus agitur,

secunda

de Indis eorumque moribus,

tertia

de omnibus rebus, quas vocabulum *φάρμακων* complectitur.

Nonnullae quidem narratiunculae, quae similes res attingunt, aequae, licet brevissime, primae parti annecti poterant, quae tamen accuratius in sequentibus afferendae erant, praecipue in tertia parte, quippe cuius argumentum multo magis absit a prima parte, quam argumentum alterius: v. c. ab initio breviter commemorari poterant Cynocephali de quibus Ctesias³⁰¹⁾ ait: *οἰκοῦσι (δὲ) μέχρι τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ. Commemorari aequae poterant ἐνοτίκτοντες et aliae fabulosae gentes³⁰²⁾*; quod apparet ex verbis: *εἰσὶν ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἰνδικοῖς, ὅπου ὁ καλαμὸς αὐτῶν φύεται, ἄνθρωποι κ. τ. λ.*, si haec comparemus cum paragr. sexta, ubi calamus in montes apud Indum situs transfertur. Attamen nullo amplius opus est argumento, summam commemorationem plenamque descriptionem horum populorum ultimae demum parti aptam fuisse, neque ex alia causa nisi ex arbitrio scriptoris pependisse, utrum iam ab initio has res significaret necne. Huc accedit quod vermis in Indo vivens multo propior Indo est, quam populi, quos prope Indum habitare Ctesias opinatur; atque praeter

300) Ael. H. An. IV. 36.

301) Ctes. Ind. 20.

302) Ctes. Ind. 32.

haec omnia etiam hoc est observandum, nos e libro Ctesiae nihil habere nisi miserimam epitomen.

Haud scio an nostrae sententiae quidquid opponi possit. Sane quidem obicere liceret Ctesiam sibi non constituisse, quippe qui Indiae propriam descriptionem diviserit in descriptionem Indi et adumbrationem morum populi Indici, quum constantius fuisset, si parti alteri, quae est de populis, altera accuratior quae esset de geographia praemissa esset. Quin etiam plurimis singulis narratiunculis primae partis multi fortasse non abducentur, quin Ctesiam omnino Indiae geographiam describere voluisse arbitrentur. Quorum quidem sententiae duo sunt opponenda; primum enim accurata rerum descriptorum cum Indo coniunctio clarior est iterata Indi fluvii commemoratione³⁰³), quam quae ignorari possit. Deinde, id quod summum est, si voluisset Ctesias prima parte geographiam Indiae amplecti, multas res, quae revera inferius commemorantur, in prima parte omittere non poterat, quae tamen Indum tantum descripturo prorsus erant supervacaneae. Huius argumenti haec possunt afferri exempla: locus sacer, ἐν τῇ ἀοικῆτι³⁰⁴); Ὑπαρχος³⁰⁵); fons βαλλάδη³⁰⁶); sedes populorum fabulosorum³⁰⁷). Quid quod de quadam μέση Ἰνδικῆ³⁰⁸) sermo est, de qua tamen in prima parte ne minima quidem significatio reperitur. Quodsi tali sententiae adversandum esse putavimus, non tamen negamus eam in parte quadam nostrae sententiae respondere. Nimirum Ctesias de India fere nihil accuratius novit, nisi regionem Indi; de ceteris non est ei ulla clara notio. Contentus est vocibus generalibus, v. c. μέση Ἰνδικῆ³⁰⁹) — ἔλη τὰ μεσημβρινά³¹⁰) — ὅπου ὁ καλαμὸς φύεται³¹¹) κ. τ. λ. Quamobrem facile intelligi potest, huic scriptori descriptionem Indi eiusque regionis in universum fere idem valere atque descriptionem Indiae.

Quod tertiam a nobis constitutam libri Ctesiae partem attinet, mirum videri primo aspectu possit, Indiae φάρμακα tam copiose, ac copiosius quidem quam ipsam terram ipsumque populum reperiri tractata. Cuius rei fortasse eam afferre causam potueris, quod in φαρμάκοις describendis ipsa maxime suum locum habere potuit Indicarum rerum pars miraculosissima, quo factum videtur, ut descriptionem hanc Ctesias praecipuo quodam persequi studio voluerit. Atque in posteriore parte adeo conicere possis sola descripta fuisse miracula nec nis aut casu fortuito aut Photii arbitrio factum esse, ut res quaeque rarissimae ac maxime mirificae conquirerentur. Sed hanc coniecturam si accuratius examina-veris, continuo apparebit minus esse idoneam eamque non modo parte tertia, sed praecedentibus etiam duabus refutari. Et veram causam, qua eadem etiam

303) Ctes. Ind. 1. 2. 6.

304) Ctes. Ind. 8.

305) Ctes. Ind. 19.

306) Ctes. Ind. 30.

307) Ctes. Ind. 31.

308) Ctes. Ind. 11.

309) Ctes. Ind. 1. 1.

310) Fr. Ctes. ap. Polluc. Onomast. V. 5. 41. p. 497.

311) Ctes. Ind. 31.

nostra maxime confirmatur coniectura, iam Baehrius, in pagina vicesima praefationis editionis suae, significat his verbis: Haud raro medicum rerumque naturalium cognoscimus curiosum, quamquam non idem vidit Baehrius omnia quae inde in rursus constituendam antiquissimam et iucundissimam operis Ctesiae formam consecutura sunt. Indicon pars generalis terrae populique descriptione finita fuit; iam defunctus hic Ctesias erat munere historici; hactenus Indica respondebant Persicis, praeterquam quod, quae est ipsarum rerum diversa natura, Persica temporum ordine descriptas res potius, Indica rerum ad terrae populique statum perpetuum pertinentium descriptionem pertinebant. At ubi historicus Ctesias substitit, ibi Ctesias medicus exstitit: geographicae et historicae parti generali singularis *περὶ φαρμάκων* additur. De his accuratius disserendi consilium non modo ex ipsa videtur, quam profitebatur, arte exortum, sed etiam, quod ipsa India totius orbis est *γῆ πολυφάρμακος*. Atque Indicarum plantarum et rerum utilium vel venenatarum (*φαρμάκων*) nonnullas in Persidem esse translatas ipse auctor est Ctesias.

Coniecturam nostram recte se habere hoc igitur magis probat, quod aliquoties Ctesiam in compluribus operis sui partibus easdem tractare res animadvertimus, id autem non potest ulla in alia causa quam in compositione totius operis situm esse. Exempli causa, in paragr. prima vermum quidam memoratur qui idem in paragr. vicesima septima accurate describitur. Qui adhuc Ctesiae explicando operam dederunt efficere nullo modo potuerunt, ut intelligeretur, cur et in paragr. prima ea quae ad hunc vermem spectant non omnia congesta essent et quod, in eadem paragrapho continetur indicium, ex animalibus illud solum in Indo flumine vivere, id priori loco omissum, posteriori adiectum esset. Nostra vero coniectura omnes difficultates removentur. Nimirum ubi de Indo agitur, paucis tantum memorandum erat, vermum inusitatae naturae in eo vivere; naturam ipsam in tertia demum parte consentaneum erat enarrari. Huius divisionis ratio tam simplex est, ut recte videamur mirari, qui fieri potuerit, ut priores Ctesiae interpretes fugeret. Apertum est autem quantam utilitatem afferat, quod sic antiqua et genuina Indicon forma et compositio reperta est, ad iudicium non solum de priori dispositione narrationum, sed etiam de totius operis pretio faciendum.



Quum iam impressa esset haec commentatio, ad meam notitiam pervenit volumen secundum Bibliothecae Graecae Parisiis editae, in quo Ctesiae Indica continentur; quod opus MÜLLERIUS commentario instruxit. Id quidem, quod a SCHLEGELIO et RITTERIO erat inquisitum, auctor sane novit et attulit; sed, ut nunc se habet haec scientiae pars, non sufficit.

Erratum.

Not. 42: Pro Antig. Caryst. Histor. mirab. legendum est: Aristot. Auscultt. mirabb.
Not. 35: Pro Philos. 2. Apoll. legendum est: Philostr. Vit. Apollon.

V i t a.

Ego, *Daniel Franciscus Schaufelberger*, natus sum Parisiis, anno MDCCCXIX, patre *Daniele Francisco Schaufelberger*, Neocomensi, matre *Eleonora Lardy*, quibus adhuc vivis laetor. Postquam prima litterarum rudimenta et liberales artes in Gymnasio et in Academia Neocomensi edidici, in Academiam Genevensis me contuli. Sic in artium liberalium disciplinis ita eruditus sum, ut in dies magis magisque litteras adamarem, praecipue professoribus Academiae utriusque auctoribus: in Academia Neocomensi *Pettavel, Prince, Guillebert*; in Academia Genevensi *Choisy, Roget, Pascalis*; quibus omnibus summas de beneficiis in me collatis agere gratias non dubito. Omnibus igitur viribus nixus sum, ut in ea terra, quae suo iure ab omnibus huius aetatis viris doctis, quasi sedes litterarum habetur, studia mea persequerer. Itaque primum Stuttgartii ad ediscendam linguam Germanam paucos menses commoratus sum; deinde Tubingam me contuli. Hic quum philologicas et philosophicas litteras *Tafel, Walz, Haug, Sigwart, Keller* me edocuissent, omnem meam operam in litteris Latinis, Graecis et in grammatica comparativa ponere mihi proposui. Tubinga igitur relicta Halas profectus sum, ibique scholis *Bernhardy, Meyeri et Pottii* interfui, quibus viris illustribus meritas persolvo gratias. Plurima autem Academiae Rhenanae fama allectus sum, ubi scholas audivi *Schlegelii, Arndtii, Ritschelii, Loebellii, Lassenii, Aschbachii, Urlichsii, Gilde-meisteri, Lerschii*. His viris pro doctrina et ingenio quam celebratis, de summis in me meritis, de singulari benevolentia, gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae:

- I. *Dionysius Halicarnassensis Livio certior est rerum Romanarum fons.*
- II. *Romani non sunt ex Alba oriundi coloni.*
- III. *Gentes stirpis Indo-Germanicae, priusquam e sedibus prioribus migrarent, non ultra numerum nongentesimum nonagesimum nonum in arithmetice exercitatae fuerunt.*
- IV. *Historiam ultra omnem historiarum compositionem, quin etiam ultra fabularum fictionem sequi licet.*
- V. *Erravit St. Croix, quod quae Lucianus [quomodo historia sit conscribenda §. 12.] de Aristobulo tradit, ad Onesicritum pertinere censet.*
- VI. *Indo-Germani quum discederent praecipue erant agriculturae dediti.*
- VII. *Daticus Graecorum propterea ampliorem habet ambitum dativo Latinorum, quia tres vetustiores, hic unum tantum casum repraesentat.*
- VIII. *Ἐν terminatio veteris est ablativi.*
- IV. *Ctesias non accuratam tenebat provinciarum orientalium Persiae cognitionem.*
- X. *Grammatica prima oritur apud eos populos, quibus libri sacri suppetunt.*
- XI. *Plinius 6, 25, 3. ad Indiam pertinet.*
- XII. *Pindar. Pyth. 10, 48. sic corrigendum: ἐμοὶ δὲ θανμάστον.*
- XIII. *Hegesippus eius, quae vulgo Demosthenis fertur, de Haloneso orationis auctor est.*
- XIV. *Iustinus nullius fidei auctor est.*



